# DRACONTIUS — DE LAUDIBUS DEI (2327 vers)

## LIBER PRIMVS

L1 Qui cupit iratum placidumve scire Tonantem,
hoc carmen, sed mente legat, dum voce recenset.
Agnoscet quem templa poli, quem moenia caeli
auctorem confessa suum veneranter adorent.
Quinque plagae septemque poli sol luna triones
sidera signa noti nix imber grando pruinae
fulmina nimbus hiems tonitrus lux flamma procellae
caelum terra jubar chaos axis flumina pontus
vel quicquid natura dedit praecepta creare,
hoc agit et sequitur variis sub casibus iras
et pia vota Dei. Miseris hinc atque beatis
pro meritis morum, pro certo tramite vitae
paupertas mors vita salus opulentia languor
taedia tristitiae splendor compendia damnum
gaudia nobilitas virtus prudentia laudes
affectus maeror gemitus successus egestas,
ira potestatum, trux indignatio regum :
omnia quae veniunt, bona gaudia tristia saeva,
descendunt ex arce Dei, de sede Tonantis,
qua pietas aeterna manet, lux spiritus ardor,
arce, ubi dicuntur laudes sine fine perennes,
et merito, quia fine carens primordia nescit
rerum causa Deus. Taetrum chaos igne resolvens
igne creata fovet ; nam totum flamma vaporat
et flammae pascuntur aquis, quibus omnia constant
nubibus et radiis solis pascentia anheli.
Inde potens generata manet natura creatrix,
intra se retinens quicquid per saecla refundit.
Ac pietas quia sancta Dei virtute modesta est,
clade repentina nunquam punire nocentes
assumat : poenam cohibet poenamque minatur,
territa quo Dominum possit mens nostra precari
et peccatorum veniam non laesa mereri.
Sic impune reis licuit peccasse fatendo.
Ante prophetarum dictis sonuere futura ;
sed postquam Christus..................
advenit sub voce Dei solvensque necantes
occidit... ne... nostra futuri
gens hominum, dare signa reis natura jubetur.
Ne lateant mortale genus quaecumque propinquent,
praemonet ante pius quam mittat tanta pericla,
prodigiis signisque docens elementa fatigat.
Nam quare coitu simili bipedumque creantur
partus quadrupedes ? Sterilis fecundior alvus
cernitur : infantem discors natura biformem
protulit imparibus membris numeroque modoque
et pavet infelix enixa puerpera natum.

- Sic peccata parant horrenda in germina partus.
- Ante suos ortus quid jam peccaverat infans ?
- Non fuit infantis facinus, sed forte parentum
noxa caput sequitur, poenam capit ante reatum.
- Quid fera, quid pecudes, quid peccavere volucres ?
Quid caelum, quid terra polus, quid pontus et astra ?
Quid solis radii, quid lunae frigidus orbis ?
Nonne fatigantur dantes per tempora signa ?
Nam ventura monet per tot praesagia somnus
proditor et quid sit post tempora certa futurum
quodque hominis mala lingua tacet, fera belua piscis
cornipes effatur, pecudes volucresque loquuntur :
despiciunt proprii generis servare figuras,
contra naturam dum turpia membra rebellant.
Nam micat unde polo veniens quicumque cometes,
hinc matres et monstra creant, hinc unda cruores
inficit et spumis rubicundior alveus exit,
hinc calidas pluit imber aquas et roscida tellus
sanguine puniceas spicis producit aristas
et viola est mentita rosam pallore fugato,
ac rubor infelix et candida lilia tinxit.
Tertia sors Erebi terrae prorumpit hiatu
et discit perferre diem, violare serenum
audet et exsangues caelo producere manes
vivida funereis admiscens ora, sepultis
pestibus Herculeos mundo mentita furores,
cum niger umbrarum veniens exercitus orbem
appetit invadens non humida tempora lunae.
Auditur mugire solum, solisque tenebras
quis neget et stellas alieno tempore visas,
caeruleum pallore diem roseumve colore
lunaremque globum fuscata lampade tectum
et mare purpureum nudato litore siccum,
piscibus oceani proprias sitientibus undas ?
Nescia mentiri rerum cognata fidelis
conservat natura fidem pietate Parentis
participans, quaecumque forent mundoque minentur,
ostentis ventura monens, ut pectore laeto,
si bona sunt ventura, bonis nos ante fruamur,
si mala portendant, liceat placare precando
naturae caelique Deum post saecla manentem.
Nemo ferire volens se praemonet ante cavendum,
sed qui terret, amat ; sic indulgentia poenam
praevenit et nullos capiunt tormenta reatus.
Non negat Omnipotens veniam cuicumque roganti,
supplicium cum saepe vetet, licet inde minetur
omnibus, et nullum feriat censura Tonantis,
ni vitium peccantis agat perstando maligne,
et quemcumque ferit moderanter temperat ictus ;
corrigit errantem, non punit morte repente,
si peccare diu parcat quicumque profanus.
Sed cum perstat homo semper delicta sequendo,
sentiet iratum poena plectente furorem.
Nemo Deum sentit, quotiens irascitur ulli,
ni fulget prae clade minas pietatis amore
donec ab excelsis veniat vindicta coercens :
impete terribili gravis ingruit ira repente,
sensim rursus adest nullo terrore minante,

ante nec agnoscit Dominum quicumque furentem,
donec in extremos gemitus recidente ruina
ingruat incautum graviori pondere frangens.
Sed non est omnis manus exstirpanda reorum ;
solos quippe necat, quos cernit nolle reverti,
addere sed gravibus peccatis crimina dura ;
nam mox tempus adest veniae, quo vota recurrunt
ad meliora semel, sed non reditura secundo
ad scelus, abjectum lacrimis prece corde reatum.
Quis genus humanum nescit servare volentem
auctorem dominumque Deum ? Cui contulit index
per tot facta dies, quem sexta luce creavit.
Prima dies nam lucis erat, mors una tenebris :
lux datur ante polos, lux clari causa diei,
lux jubar aethereum, lux noctis limes et umbris,
lux facies rerum, dux lux cunctis elementis,
lux genitis per cuncta color, lux gratia solis,
lux decus astrorum, lux aurea cornua lunae,
lux fulgor caeli, lux et primordia mundi,
lux splendor flammae, lux magni temporis index,
lux opus Auctoris primum, lux cardo pudoris,
lux honor agricolis, requies lux omnibus aegris,
lux aevi media est, lux quae dat tempora metis.
Et bene constituit mundi primordia lucem
clarus ubique Deus nunquam maculabilis auctor,
quem non obscurant quacumque ex parte tenebrae
nec celantur ei quaecumque obscura geruntur.
Initium factis lucem dat lucis origo.
Quanta spes mundi promissa est principe luce !
Quae totum praecessit opus quod continet orbis,
quae solis praevenit iter lumenque coruscum,
cujus jussit ope clarescere cuncta creata.
Altera quippe dies caeli convexa meretur
et supra caelos ingentia flumina dantur
ac dominatur aqua glomeratis fluctibus alma
ignibus aethereis caelesti sede locatis.
Unda beata nimis, meruit quae tecta polorum,
celsa favore Dei, jussu suspensa Tonantis.
Limitibus contenta suis elementa morantur
nec flammas restringit aqua glaciemve reponit
flammeus ignis aquae : servant sub lege tenorem
incorrupta suum, non impugnata vicissim ;
non discreta quidem, sed nec permixta morantur.
Tertia caeruleum ponti lux edidit aequor ;
fluctibus immensis pelagi freta glauca liquescunt
et mare navigerum quatitur spumantibus undis.
Ipsa dies terram meruit de fluctibus actam ;
eruitur tellus vasto demersa profundo
et solidante globo gravior per inane pependit
axe rotante polum ; sunt pro radicibus undae ;
quam molles portant ceu fundamenta liquores,
arida materies rapitur de corde fluenti
nondum mater humus ; cujus pars solvit harenas,
in glebam pars membra ligat, pars saxa tumescunt
et cautes stant montis apex, pars flumina mergit,
planities pars tensa jacet, pars litora curvat,
pars datur in tumulos, pars aspera rupibus horret,
in scopulos pars certa riget, pars valle profunda

cingitur et colles tumidi juga celsa supinant
atque humiles campos spatiis aequalibus aptant ;
pars data dulcifluis undantes fontibus agri.
Herba virens prodit, it surculus omnis in auras
et semper vestita comis frondescit oliva ;
omnia poma virens profert, non parturit arbor ;
linguae laurus honos solvit donanda poetis ;
torta per obliquos it vitis in orbe corymbos,
verberat et palmes ramos fluitante flagello ;
vinea pampineos subarundinat ebria campos,
munera laetitiae spondens pendentibus uvis,
fluctibus et variis redolent florentia rura.
Una parens tellus non unum fundit honorem,
sed quot sunt herbae, tot permiscentur odores.
India mundus erat gemmans, pigmenta per herbas
producunt sub sole novo rudibusque racemis.
Est locus interea diffundens quattuor amnes
floribus ambrosiis gemmato caespite pictus,
plenus odoriferis nunquam marcentibus herbis,
hortus in orbe Dei cunctis felicior hortis.
Fructus inest anni, cum tempora nesciat anni.
Illic floret humus semper sub vere perenni,
arboreus hinc inde chorus vestitur amoene :
frondibus intextis ramorum murus opacus
stringitur atque omnes pendent ex arbore fructus
et passim per prata jacent. Non solis anheli
flammatur radiis, quatitur nec flatibus ullis
nec conjuratis furit illic turbo procellis ;
non glacies destricta domat, non grandinis ictus
verberat aut gelidis canescunt prata pruinis.
Sunt ibi sed placidi flatus, quos mollior aura
edidit exsurgens nitidis de fontibus horti ;
arboribus movet illa comas, de flamine molli
frondibus impulsis immobilis umbra vagatur :
fluctuat omnis honos et nutant pendula poma.
Ver ibi perpetuum communes temperat auras,
ne laedat frondes et ut omnia poma coquantur.
Non apibus labor est ceris formare cicutas :
nectaris aetherei sudant ex arbore mella,
et pendent foliis jam pocula blanda futura.
Pendet et optatae vivax medicina salutis,
et quae dependent sollers pictura figurat.
Auroram jam quarta dies praemiserat undis
et rutilante polo compresserat ora rubore :
mox solis radiare globum jubet igne salutis.
Flamma salutaris perfundit lumine mundum,
cuncta salutifero rident elementa vapore ;
cujus ab igne suo lunam jubet ire secundam,
nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis
et trepidum proferre diem comitante quiete ;
candida somnigeris collustrans cornibus axem,
quae numero est crescente brevis, sed plena minore.
Flammeus ornatus caeli per sidera fulsit :
officia stellis, numeros et nomina jussit,
tempora distribuit, loca contulit, ignibus egit,
limitibus fixit, jubar induit, axe rotavit,
cursibus aptavit, caeli regionibus addit.
Agminis innumeri nec flammea sidera solem

destituunt quacumque die, sed luce premuntur
luminis immensi radiato vertice fusi.
Nec mirum, si clara latent sub sole corusco
sidera, quo mundum monstrat mensura minorem,
qui fovet igne pio caelum mare sidera terras.
Concepta virtute Dei, quem sphaera polorum
sustinet, et sentit Dominum per cuncta tonantem,
cujus ab imperio veniunt quaecumque ministrat.
Omnia jussus agit, totum sub lege laborat,
miles et ipse Dei, cum luna et sidera cuncta
ostentans sub vere novo, sub tempore primo,
sub tirone die veterana in saecla parato.
Addit quinta dies animalia cuncta profundi.
In corpus solidantur aquae nervique ligantur.
Musculus humor erat, fluctus durescit in ossa
atque oculi gemmantur aquis humore gelato.
Et quot sunt fluctus, tot forsitan aequore pisces
luserunt fluido per caerula vasta natatu
et crispante freto perflabant naribus undas.
Terrigenis factura cibos post cuncta creandis
exilit inde volans gens plumea laeta per auras
aera concutiens pinnis crepitante volatu
ac varias fundunt blando modulamine voces
et puto conlaudant Dominum meruisse creari.
Hae niveo candore nitent, has purpura vestit,
est croceus his pluma color, has aureus ornat
galbanus, ast aliis pinnae solidantur ocellis
atque hyacinthus adest per colla et pectora fulgor ;
eminet his cristatus apex, has lingua decorat
et brevitas formae pensatur voce canora ;
est unus his pluma color, has discolor ornat
pinna, per innumeras currens pictura volucres,
et rudibus tenuem subtexunt aera pennis.
Sexta dies folium ramis et floribus herbas
evomit et spicans acuit seges omnis aristas.
Silva comis vestita viret nidosque loquaces
exhibet et varias decantat garrula voces,
cum natabunda volat non motis plausibus ales ;
frondibus insidens vento cum fronde movetur,
unguibus ad ramos infixa tenacibus haeret.
Pinnigerum vernare nemus vapor urguet in usus
pignoris et molli durescunt ova tepore.
Pennantur membrata globis, animantur, anhelant,
rumpuntur, confracta sonant, nutrita volatus
temptant et rudibus librantur in aera plumis.
Sed cum discordent inter se elementa coacta,
fetibus eductis concordant unda vel ignis :
unda creat volucres, producit flamma volucres.
Pabula mundus erat, sed non qui pasceret herbas
adfuit : intactis senuissent floribus herbae,
ni pascenda daret tellus jumenta per agros.
Cornibus erumpunt armata fronte juvenci
et per prata vagum sequitur sua bucula taurum ;
cervus in arva fugax palmatis cornibus errat
et velox prorumpit equus, pecus utile belli.
Impia terribiles producit terra leones,
sirnplicitas ovium fraudem passura luporum
et raucos timuit discurrens damma molossos.

Spumat aper, mortes lunato dente minatur
et latus obliquans meditatur proelia torvus,
ne Massyla fames duros descendat in armos
aut aper alter eat spumantia bella movere.
Promitur omne genus pecudum, genus omne ferarum
inter prata vagum nullo custode per herbas.
Instar montis habens incedit bestia moles ;
promitur anguis hians, quatitur sub dente venenum,
et maculosa rapit squamis per viscera serpens,
ante venena nocens, missura flatibus oris
et subita sparsura gravis per sibila mortes
atque eadem membris vitae paritura medellas.
Sed ne cuncta simul passim per cuncta fuissent,
distribuit loca certa Deus et tempora fixit.
Tempore non uno veniunt quae saeva vocantur :
non semper movet arma leo nec scorpius ictus
semper habet nec semper agit fera vipera mortes
nec semper tollunt ad vulnera colla cerastae ;
non semper furit unda maris nec semper adurit
solis ubique calor : pro tempore temperat ignes,
pro regione plagae, pro tempore temperat undas
et modo bellantes fluctus freta pigra jacebunt.
Ipse polus, qui grande tonat, sine nube serenus
jam tacet et puro redeunt sua lumina caelo.
Multa locis data sunt variis dispersa per orbem :
arida vipereos angues suscepit harena,
humida sortitur tellus fera colla leonum,
India cum gemmis et eburnea monstra minatur
(belua divinos inter generatur odores
ambrosiasque rapit male fraglans bestia messes)
incertusque color tigris per mille colores
montibus Hyrcanis vento fetata marito
mittitur ut vincat currens orbata procellas.
Cornibus erectos sortita est Africa dammas,
concava suscipiunt per montes saxa dracones.
Cetera distribuit diversis semina terris,
plurima conjunxit, sed caespite, mente diremit.
Munera praeterea funduntur divitis agri :
protulit eximias et ditior India gemmas,
producunt niveos et litora rubra lapillos,
flammantes viridesque tulit Babylonia crustas ;
Persica nobilitas pretiosis litora gemmis,
frigidus et roseo carbunculus ardet honore,
Ser et fila trahit nullo sub pollice ducta,
balsama Caesareos plorant virgulta per agros
et nimis ambrosium lacrimae dant munus odoris
cinnamon interior profert sub Phoenice tellus
solis amica nimis nam non de sole perusta
haec nardi flores, haec portio fundit amomum.
Omnibus his genitis animal rationis amicum
formatur virtute Dei, limatur in artus,
ut dominanter eat moderatior omnibus unus.
Naturae jussit quae protulit omnia princeps,
ast hominem non terra parit, non pontus ab undis,
non caelum, non astra creant, non purior aer,
sed dominaturum cunctis Dominator et Auctor
plasmavit per membra virum de pulvere factum.
Limus adhuc deformis erat, membratur in artus

corporeus, species hominis, caelestis imago.
Conspicitur nova forma viri sine mente parumper.
Spiritus infusus subito per membra cucurrit
et calefacta rubens tenuit praecordia sanguis,
mox rubuere genae, totos rubor inficit artus.
Jam cutis est qui pulvis erat, jam terra medullas
ossibus includit, surgunt in messe capilli.
Orbe micant gemino gemmantia lumina visus
et vocem compago dedit nova machina surgens
auctorem laudare suum gavisa, quod esset,
atque oculos per cuncta jacit : miratur amoenum
sic florere locum, sic puros fontibus amnes
quattuor undisonis stringenti gurgite ripas
ire per arboreos saltus camposque virentes,
miratur. Sed quid sit homo, quos factus ad usus
scire cupit simplex et non habet unde requirat,
quo merito sibimet data sit possessio mundus
et domus alma nemus per florea regna parata ;
at procul exspectat virides jumenta per agros
et de se tacitus quae sint haec cuncta requirit
vel quare secum non sint haec cuncta volutat ;
nam consorte carens cum quo conferret egebat.
Viderat Omnipotens haec illum corde moventem
et miseratus ait : " demus adjutoria facto
participem generis. " Tamquam si diceret Auctor :
" non solum decet esse virum, consortia blanda
noverit, uxor erit, cui sit tamen iste maritus ;
conjugium se quisque vocet, dulcedo recurrat
cordibus innocuis et sit sibi pignus uterque,
velle pares et nolle pares, stans una voluntas,
pax animi concors paribus concurrere votis,
ambo sibi requies cordis sint, ambo fideles
et quicumque datur casus, sit causa duorum. "
Nec mora, jam venit alta quies oculosque supinat
somnus et in dulcem solvuntur membra soporem.
Sed cum jure Deus nullo prohibente valeret
demere particulam de quod pius ipse pararat
(sed si ablata daret juveni sua costa dolorem,
redderet et tristem subito, quem laedere nollet),
fur Opifex vult esse suus. Nam posset et illam
pulvere de simili Princeps formare puellam,
sed quo plenus amor toto de corde veniret,
noscere in uxorem voluit sua membra maritum.
Dividitur contexta cutis, subducitur una
sensim costa viro, sed mox reditura marito.
Nam juvenis de parte brevi formatur adulta
virgo decora rudis matura tumentibus annis,
conjugii subolisque capax quo nata probatur,
et sine lacte pio fit mox infantia pubes.
Excutitur somno juvenis, videt ipse puellam
ante oculos astare suos, pater, inde maritus,
non tamen ex coitu genitor, sed conjugis auctor.
Somnus erat partus, conceptus semine nullo ;
materiem fecunda quies produxit amoris
affectusque novos blandi genuere sopores.
Constitit ante oculos nullo velamine tecta,
corpore nuda simul niveo quasi nympha profundi :
caesaries intonsa comis, gena pulcra rubore,

omnia pulcra gerens, oculos os colla manusque,
vel qualem possent digiti formare Tonantis.
Nescia mens illis, fieri quae causa fuisset.
Tunc Deus et Princeps ambos conjunxit in unum
et remeat sua costa viro, sua membra recepit,
accipit et fenus, cum non sit debitor ullus.
His datur omnis humus cum quicquid jussa creavit
aeris et pelagi fetus, elementa duorum
arbitrio commissa manent. His " crescite ", dixit
" et replete solum " Omnipotens " de semine vestro
sanguinis ingeniti natis ; nutrite nepotes
et de prole novos iterum copulate jugales.
Vel dum terra fretum, dum terram sublevat aer,
dum solis micat axe jubar, dum luna tenebras
dissipat et puro lucent mea sidera caelo,
sumere quicquid habent pomaria nostra licebit ;
nam totum quod terra creat, quod pontus et aer
protulit, addictum vestro sub jure manebit
deliciaeque fluent vobis et honesta voluptas :
arboris unius tantum nescite saporem. "
Dixerat ista Deus, sanxit natura quod inquit
Omnipotens. Mirata diem, discedere solem
nec lucem remeare putat terrena propago
solanturque graves lunari luce tenebras,
sidera cuncta notant caelo radiare sereno.
Ast ubi purpureo surgentem ex aequore cernunt
Luciferum vibrare jubar flammasque ciere
et reducem super astra diem de sole rubente,
nox revocata fovet hesterna in gaudia mentes ;
temporis esse vices noscentes luce diurna
coeperunt sperare dies, ridere tenebras.
Tot bona facta Deus non obliviscitur unquam,
quae propter hominem fecit sanxitque manere.
Huic Dominus pietatis opem subducere non vult,
addicet nec plasma suum. Scit conditor aevi
esse nihil prorsus praeter se ubique rogandum,
et nisi subveniat, succurrens non erit ullus.
Inde malo bonus est homini Deus, omnibus auctor
spes opifex dominus rector dux arbiter index,
continua bonitate pius, virtute modestus,
simplicitate bonus, sed culmine celsior omni.
Ibant per flores et tota rosaria laeti
inter odoratas messes lucosque virentes
simpliciter pecudum ritu vel more ferarum,
corporibus nudis et nescia corda ruboris.
Quid pars membrorum secretior esset habenda ?
Unde rudes scirent, quid moribus esset honestum ?
Quod digitos oculosque, putant hoc quoque pudenda.
Publica jungebant affectibus oscula passim
nec rubor ullus erat, cum staret origo pudoris,
illicitumque sibi prorsus nihil esse putabant.
Et bene credebant, quibus omnia jussit ad usus
arboris unius fructu sub lege negato.
Vomere non tellus, non rastris jussa domari,
quaerere nec sudor fructus quocumque labore
cogitur aut campos aliquo de fonte rigare ;
imbre ferax nullo, pluviis absentibus uber
caespes et arbitrio crescit fetura marito.

Praeterea solis datus est locus ille duobus :
deliciis hominum tantum constructus opacis
nec placidas sustentat aves, non ore cruentas,
unguibus armatas nescit perferre volucres,
omne genus pecudum nescit, genus omne ferarum.
Solus ibi irrepsit squamoso corpore serpens
fraudibus imbutus mortis, caput omne malorum,
pectore vipereo mellitum ex ore veneflum
funereo sub dente parans spumante palato.
Ergo ibi livor edax, coctum serpente venenum
invidiae mordacis habens sub fronte modesta,
quaerit opem sceleri, per quam fallatur honestas
simplicitasque cadat vel credula corda reatum
incurrant non fraude sua, sed clade perenni.
Fortia corda viri non expugnanda per anguem
praesensit pietatis inops et conjugis aures
aggreditur sub voce pia, sermone maligno
insidiosus adit heu mollia corda puellae :
ingerit ore cibos crudeli funere plenos.
His semel assumptis reserantur lumina cordis
ac permixta bonis patuit doctrina malorum.
Paenituit nescisse dapes et damna putantur
temporis exacti spatia. Procedere pejus
ausum quippe nefas : temptat seducta maritum
et capit insontem jam noxia femina victum.
Circumventa perit, sed circumscripta fefellit.
Nec circumscriptor serpens impune triumphat.
Nam postquam et juvenis violata mente comedit
funereos sine lege cibos in morte futuros,
mox sapit infelix, quid pravum, quid sit honestum :
cognita simplicitas, sed mox est corde fugata.
Membra pudenda putant partem, quae est prolis origo,
et qua ventris erat digestio turpis habetur.
Omnibus e membris pars mundior illa putatur,
noxia sola magis fuerat quae in corpore toto,
os, aditus mortis quam protulit atque recepit
lingua suada mali, sed et aures limina mortis.
Viderat Omnipotens homines didicisse pudorem,
perdiderant quem fraude truci dapibusque comesis,
errantes per prata reos foliisque tegentes
fecundos artus : dant agnita membra reatum,
illicitum fas ante putant licitumque profecto
creditur esse nefas. Hos increpat ore tonanti,
sacrilegos quos jura Dei calcasse profanat,
dum quaerunt ullas foliis vel rupe latebras,
tunc magis obtunsi, cum credunt posse latere
omnituum quodcumque Deum, cui cuncta patescunt,
et merito, quia cuncta facit fecitque jubendo.
Non fugit artificem chalybis, quae massa caminos
sustineat, quae missa semel fornace liquescat,
exedat rubigo latens quae viscera ferri ;
hic non defossa prodit tellure metalla,
promittit saxis et non de pulvere gemmas ;
scit, quibus immittat mordaces fluctibus hamos
retibus aut pisces fallat scrutator aquarum,
et male venturas spondet sibi nauta procellas ;
si pluvialis hiems aut saxeus urgeat imber,
non latet agricolas ; sub terris providus undae

promittit fontes designans ante saporem
inspecta tellure semel, sine fluctibus ullis ;
sibila dum reticent necdum serpente probato
praedicit Psyllus vim cujuscumque veneni ;
signa videt mortis medicus reducisque salutis
et negat aut spondet victurum judice visu
taedia laetitiae vel gaudia luctibus indens.
Cur exempla damus homines praescire futura,
cum testante Deo doceatur nosse quod instat ?
" Natio viperea ", clamans mortalibus inquit
" signa poli nostis, praedicitis : imminet imber,
et veniet, nec fallit hiems nec tardat adesse. "
Ecce genus hominum ventura scire probatur.
Nec mirum, Christi si sentit imago futurum,
cum nos venturum moneant animalia muta :
bucula rana sues formicae corvus hirundo
praedicunt pluvias nec clam praesagia fallunt.
Quid res exanimes, testas ? Ardente lucerna
scintillare oleum fungis crescentibus igne ?
An Deus omnipotens posset nescire latebras
rupis et ex foliis vestis contexta caducis
aspectus obstare ? Deo tunc voce reatus
crimine femineo semet peccasse fatetur
infelix conjunx, in conjuge facta redundat
et reus accusat ; sed non purgandus agebat
sed sic participem propter solacia cladis
conscius adscivit socius, ceu femina duxit
ad scelus horrendum vel saeva piacula mortis.
Supplicio sociante duos relevare reatum
credidit infelix, si par sententia damnet
quos par culpa tenet (gradus illic temporis inter
est tantum, nam causa ligat communis utrumque).
Exsurgit censura Dei pietate severa
et vitae mortisque simul sententia fertur.
Supplicium infelix, quo mors datur atque negatur,
ultio vitalis cohibetur limite mortis :
poena mori crudelis erat, sed vivere pejus.
Otia delicias perdunt discuntque labores,
qui cultore Deo fructum telluris habebant.
Agricolam Dominum qui non diviserat unquam
(ipse rigator erat, sator altor messor arator),
offendunt hunc ambo pium : truduntur ab horto
perpetui floris nec habet sub jure reorum
et vitae mors meta datur cum fine malorum.
Magna Dei pietas, venia qui temperat iras :
vita gravis hominum subciditur impete mortis,
quae recidiva magis conversis corde resurgit.
Mors mundanorum requies vel certa laborum
et male viventi praestatur fine salutis :
continuans quodcumque nocet pravumque bonumque.
Solus in aeternum Deus est regnator et auctor,
virtus trina Deus, triplex Deus omnis et unus,
de quo speratum conceditur omne benignum
nec mens quaecumque praesumpsit pura fefellit,
dictorum effectus non desunt tempore eodem,
penes quem sensu praecordia muta loquuntur
et lingua reticente sonat super aethera sermo
ac mens pura Deum potius quam lingua precatur.

Ergo operis memor ipse sui Deus imperat ambos
sedibus egressos placidis dominentur ut orbi
et totum quod mundus habet sub jure tenerent.
Ac quod floret humus, viridis quod germinat herba,
quod spicant messes, quod ramis parturit arbor,
quod gemmant vites, quod amoena comantia frondent,
flumina quod mittunt fontes, quod fluctuat aequor,
quod pelagi trahit unda fretum, quod littora tundit,
murmure quod venti flantes vaga marmora crispant,
quod generant terrae, quod flammae pontus et aer :
usibus humanis data sunt haec cuncta venire,
ut similis qui factus erat de pulvere Christo
his dominaretur cunctis, sub carne creatis
corpora corporibus servirent cuncta subacta.
Spiritus interea servit sine corpore ventus ;
ventus agit nubes, in nubila crassior aer
cogitur : hoc imbres veniunt placidumque serenum ;
ventus alit fructus et ventus spicat aristas,
ventilat aestivo quas flatu mollior aura ;
deflorat fructus et decutit arbore flores ;
flatibus accendit flammas et temperat aestus.
Flatibus alternis redeunt commercia vitae ;
itque reditque suos repetendo spiritus haustus
et reduci vento fibrae pulmonis anhelant :
faucibus excurrens it naribus aura vicissim,
vitales animat per membra tepentia sensus
et modo quae gelidis, calidis nunc flatibus ora
illustrata vigent et tangunt flabra palatum.
Non haec humanis tantum spiramina membris
sunt data, sed cunctis animantibus aura recurrit.
Spiritus ille Dei, quo corpora cuncta moventur,
omnia complectens agitat fovet inserit urget,
unde genus diversa trahunt et semina rerum.
Molis ab immenso venientia fonte perenni
artificis formante manu digesta vomuntur
ordine cuncta suo. Manet irrevocabile munus.
Nec tamen intereunt pereuntia lege diurna.
Quis neget undifluos procedere fontibus amnes,
quorum jam reditus non unquam sperat origo ?
Incessanter aquas licet evomat impete pleno,
jacturam tamen unda negat sentire fluenti.
Omnibus hic mos est de flammis tollere flammas
nec minuit quicquam detractus ab ignibus ignis.
Damna aliena solent aliorum lucra parare :
hi quaestus cui damna parant ? In fomite flammae
detractae, cui forte jubar subciditur igni ?
Nec carnale geflus minuit fetura creando ;
ecce dedit homini plus quam sibi rex Deus auctor :
formantur virtute Dei mas unus et una
et multos creat unus homo, mansura propago
maxima fit, generis quam parvula fudit origo.
Parva Deo fuerant succedere nata peremptis,
ni consumpta daret post saecla resurgere vitae.
Sed ne sit fixum reditus non esse sepultis
cordibus illorum qui legis sancta profanant,
annua conspiciant agris frumenta renasci
mortua per sulcos terram findentis aratri.
Major et ex truncis surgit radicibus arbor

et foliis vestita viret redeuntibus annis.
Pampinus uviferae vitis sarmenta revestit
et gemmata rogis redeunt virgulta ruboris
ambrosio reduces rumpunt de cortice fructus,
quis est vita fugax et par cum flore senectus ;
fit rediviva virens et crinibus herba renatis ;
ligna renascentur reduci sub germine cuncta :
quae nunc herba fuit, lignum jacet, herba futura.
Squameus exuitur stellato tegmine serpens :
pelle renascenti rursus redeunte juventa
reptat hians anguis per sibila guttura pandens.
Frontibus arboreis amittunt cornua cervi,
anguibus assumptis sed mox palmata resurgunt.
Aerias enudat aves jam penna vetusta
et nova subvestit reparatas pluma volucres.
Mortua praeterea caecorum lumina dudum
nube tenebrarum discussa, luce recepta
ad visus rediere suos vultusque sepulti
nocturnos perpessa dies oculatur imago ;
mortua pars hominis quotiens, pars viva jacebat,
funera viva gemens, vivax in morte cadaver
ac sine morte tamen vitali in morte perempta ?
Et rediviva salus reduci per membra vapore
nascitur et calidus repetit vitalia sensus
ossa tenens venasque ciens udansque medullas.
Phoenicis exactam renovat Deus igne juventam
exustusque senex ; tumulo procedit adultus :
consumens dat membra rogus sine sorte sepulcri.
Ignibus extinctis jam mortua flamma resurgit,
redditur ignis edax redivivo lumine candens
et scintilla volans incendia vasta reducit
et quod fumus erat, stridet jubar ignis anheli ;
igne vago rutilatur apex, fax aera lambit ;
et cinis extinctus gelida moriente favilla
tollitur alta petens erecto crine vagatus.
Mortua nox sub luce cadit, perit aurea luna
atque per ascensus et cornua colligit ignes
et, dum caeca latet reparato lumine, fulget
mentiturque diem lux frigida, solis imago.
Lucifero redeunte polo moriuntur et astra :
nuntius aurorae subductus morte diurna
Lucifer extinctas reficit per sidera flammas
et nocturnus eques jubar emicat igne corusco.
Roscida puniceum spargens aurora ruborem
ducit ubique diem periturum noctis ab umbris
et tamen haec de sole perit, quo missa rubebat.
Sol, oculus caeli, famulus super astra Tonantis,
cujus ab immensis languescant sidera flammis,
ni gelidis animentur aquis per caerula ponti,
occidit ; ipse dies super aequora sole cadente
aequore mersus abit, novus aequore mane resurgit :
vespere nocturno radiata luce rubentem
purpureis attollit aquis, redditque diurne
depositum natura suum sub nocte sepultum,
mane resurgentem, de fluctibus orbe refecto.
Tot simul exemplis moniti, defuncta renasci
credamus virtute Dei, qua cuncta creavit
et generata vigent sub nutritore Tonante,

qui, cum regna poli teneat stellantis et alti,
aera concludit, terram levat, aequora solvit
et totum capit una manus, quod sermo creavit,
munus ubique Dei, dum jussio rumperet una.
Qui tantum pius est quantum decet omnipotentem,
et nulla virtute minor nisi verberis ira,
sed voto, nam sponte bonus pietatis amore ;
quem mens pura juvat hominum, non victima supplex,
aut si paeniteat sceleris mala vota reorum
et nova succedant animorum corda piorum.
Ille etenim Deus est, quem nulla traxit origo,
cujus ab aspectu montes et saxa fluescunt
in cineres, et pulvis erit quae dura rigebat ;
qui, visa tellure semel, mox pondera mundi
concutit et subitum monstrat vaga terra tremorem
ac formidatos ostendit pendula motus.
Alveus expavit violento vertice torrens,
dum reduces sentiret aquas et sisteret amnes.
Visa Dei facies et marmora glauca fugaret
gurgitis aequorei, quo mundus cingitur omnis,
et pelago spatiante fretis ac litoris aestu.
Qui de thesauris ventorum flamina mittit
et frenat rapidas in tempestate procellas,
grandinis atque nivis venientis quae sit origo ;
qui dat fulmineos collisis nubibus ignes ;
qui saxis abscondit aquas et condidit ignes ;
qui scit quo nitidus crystallus ventre creatus,
candida materies, glacies imitatur aquarum ;
qui noctes hiemis producit sole minore
et solis protendit iter flammantibus horis ;
qui lunae saltus statuit solique labores ;
qui rosulis stellare nemus vel floribus agros
imperat : autumni qui dulcia poma saporat,
et fragiles gemmae variant in vitibus uvae,
ut cibus et potus sint ubera dulcia musti ;
qui dat corvorum pullis alimenta facitque
noverit ut vultur qua sit regione cadaver,
dux odor atque sagax quem mox invitat ad escam,
praepetis aut aquilae senio renovare juventam
quae rostro crescente famem tolerabat adunco ;
qui pascit quodcumque creat pietate parentis,
vitae certa salus per mille pericula mortis,
debilibus virtus, opulentia major egenis,
auxilium miseris, spes et defensio pressis,
fessorum virtus, dans nutrimenta salutis ;
qui facit aeternam mortalia lege latenti
membra tegant animam vento spirante loquaci ;
qui lunae crescente globo jubet aequora crescant,
fluctibus adjectis crescant cum fontibus amnes,
crescat et inclusum capiti genus omne cerebri,
et minuantur aquae luna minuente liquentes
vel decrescente decrescant lege perenni ;
qui reges et regna domat sternitque potentes,
deicit elatos et mergit ab arce superbos,
atque oppressores Deus opprimit et, pius ultor,
elevat elisos et consolatur adactos
luctibus et damnis et vulnera saeva dolentes.
Et nobis vexata salus, pietate medelam

744 impendis cui, sancte, tuam medicamine nullo
745 quod species terrena parat, sermonis at aestu,
746 spes hominum intendens et vota precantia complens.
747 Aspice despectum, dejectum attolle parumper
748 confusumque juva, quia paenitet esse nocentem,
749 ut valeam memorare tuas hoc carmine laudes,
750 quas potero (nam nemo valet narrare creatus
751 vel modicum facientis opus), quod mens rea clamat
752 pectore contuso lacrimans et voce fideli ;
753 obses sermo tuus nostro nam corde tenetur
754 quo te promittis nimia pietate parentem.

## LIBER SECVUNDVS

L2 v.1 Omnipotens aeterne Deus, fons auctor origo
2 inventor genitor nutritor rector amator
3 cunctorum quae mundus habet, quae celsa polorum,
4 quae caeli secreta tegunt produntque parumper,
5 sidereus quod ab axe globus super astra rotatur,
6 pendula quod tremula vibrant face sidera flammas
7 et stellae sub luce latent, sub nocte refulgent,
8 nuntius aurorae quod lucifer emicat ardens,
9 ut fugat astra poli, fugiturus lucis habenas,
10 quod calor est solis, quo splendet frigida luna
11 partita cum fratre vices sua tempora lustrans,
12 ne simul invadant mundum sine luce tenebrae
13 credaturque chaos spatio sub noctis adesse,
14 quod tu cum faceres mundum virtute negasti.
15 Tu Deus inspiras ut sol auriga vocetur,
16 non quia vectus equis est quattuor axe rotato,
17 sed quia praefectus sol quattuor est elementis,
18 quattuor alternat sollers auriga colores ;
19 permutat jussus sol tempora quattuor anni,
20 non ausus transire vices sub lege perenni
21 praefixas dicione tua ; non ille vapores
22 auget sponte sua, medios nec temperat ignes
23 aut gelidum dat forte jubar nisi praeduce jussu
24 imperii per saecla tui sine fine manentis :
25 militia famulante sua servire fidelis
26 oceano, mundo vel caelo teste probatur.
27 Sic opus omne tuum visibile non latet orbem.
28 Te, Deus, auctorem, te novimus omnia patrem,
29 te pariter dominum, qui das exordia rebus
30 et finem, sine fine parens exordia nescis,
31 spes hominum, rerum princeps mundique superstes.
32 Sanctus ubique tuus complectitur omnia, princeps,
33 spiritus immensam penetrans per saecula molem ;
34 nam quasi aer fusus sic omnia contegit implens,
35 singula non partim, generaliter omnia nutrit,
36 totus ubique juvans et totus ubique ministrans.
37 Quae vibrans natura dedit, quaecumque creantur
38 aut generata valent, haec spiritus inserit almus :
39 corporeos artus fovet erigit urget et auget,
40 continuanda manent et succidenda labuntur ;
41 mentibus insidit, penetrat caput ossa medullas,
42 pectora cor sensus animam praecordia mentem

illustrat, venas oculos et viscera replet.
Quidve latet, quem cuncta gerunt, quo cuncta reguntur,
temporis et spatii quem spiritus omnis et ignis
laudat et aeternum venerantur cuncta parentem ?
Nec caeli secreta vacant, quae spiritus auctor
non habeat ; virtute tua, quae solis in orbem
lunaresque amplexa globos dominatur agitque,
quicquid habet pietatis opus simul obtinet orbis ;
qui nihil est, nisi lege tua servetur in aevum :
circulus haerebit, nisi jusseris ire meantem,
et stellatus honos ; mox sphaera volubilis haeret
ac mutent elementa vices per saecla morantes
et cadet ante diem sublimis machina rerum ;
sed tu lege tua retines qua cuncta coerces.
Nam quis stare queat contra tua jura reluctans ?
Aut tibi quis reputet, si perdere jusseris orbem,
quem ipse repente jubens solo sermone creasti ?
Quo libuit genuisse Deum ante omnia Christum,
semine quem verbo conceptum corde ferebas,
quo sine non unquam fuerat mens sancta parentis,
multa profunda potens sollers pia provida perpes
simplex celsa levis vibrans immensa serena
vivida cunctiparens mens innumerabilis una.
Ergo Deum Deus auctor ovans eructuat ore.
Corde sacer genitus mox constitit ipse parenti,
et consors cum patre manens et spiritus unus,
trina mente Deus, Deus auctor, temporis expers,
multiplici virtute potens, pietate modestus
innumera, caelis elementis fluctibus astris
impendens ut stare queant, famulanter adorent,
angelica dicione preces sine fine canentes.
Omnibus his praestat dilato fine manere
ut vigeant homines pisces armenta volucres
et pecus atque ferae, quicquid natura creatrix
nutrit ad innumeros diversi sanguinis ortus.
Qui nasci dignatus homo est membratur in alvo
sanguine femineo concretus spiritus almus
fitque Deus post templa poli sub carne figura
passibilis, mortalis homo sine fine perennis.
Et tenuis per cuncta vapor jam mollior igni
irrepsit tenerumque parat per viscera corpus.
Induitur compage Deus, structura ligatur
ossibus et nervis, pinguescunt intro medullae,
hinc cruor, hinc humor, solidatur musculus omnis
et caro plasmatur. Qui sanctus spiritus illic
egerit, ipse potens novit qui cuncta creavit ;
qualiter aure Deus, verbo fetante marito,
virgineos intrasse sinus dignatur et alvum
terrarum caelique capax anhelantis et ignis,
aeris et pelagi, sed non capiendus ab isdem,
claustra puerperii passus sub lege creandi
vel quaecumque subit diversi temporis aetas.
Haec fragilis humana jacens natura meretur
de pietate sua, qua non vult perdere mundum,
quem fecit sanxitque regens per saecla manere.
Ergo ubi corporeos artus dominator et auctor
induit et caelum patri servire reliquit
- ut putat insipiens omnis rationis egenus,

nam quicumque sapit novit quia sic tulit artus
et fuit in terris, ut nec caeleste tribunal
linqueret, omnipotens nunquam sine patre probatus,
nam pius et genitor nunquam sine pignore dictus,
spiritus immensus sanctus bonus arbiter index,
tertius unus idem primus mediusque perennis -
ast ubi terrenum sumpsit cum corpore pondus
immortale genus, mortalia dura subivit
ut posset monstrare Deum, quia lumina carnis
non nisi corpoream possent spectare figuram.
Nam quaecumque daret princeps miracula carni,
sanctis haec homines eventibus acta putarent.
Addo quod, humanis vitium est generale catervis,
hoc credant quod visus habet spernantque relata.
Credimus inde Deum mundo venisse videndum
ut faceret virtutis opus per mille catervas.
Mentibus obsessis insana clade furoris,
spiritus impatiens animas quascumque gravabat,
tabe fluens quaecumque cutis madefacta rubebat
ossibus et nervis resoluta carne retectis
praestatur de clade salus : reparare sepultos
novit et exanimes iterum revocare saluti.
Ipse oculos gemmare jubet sub fronte micantes
ignotumque diem mirantur nosse tenebrae
quem simul ex utero matris natura negarat.
Mortua pars hominis, pars altera viva jacebat
usque Dei jussus ; post sanus et integer omnis
redditur atque vapor vitalis in ossa cucurrit.
Quod de parte viri fecit de corpore toto
praestitit, orba parens fleret cum funera nati.
Nec semel ista dedit, nam ut sit sibi virgo superstes
imperat, exsurgit vel Lazarus ante sepultus,
quattuor exemptus transacta luce dierum.
Stagnis insolitis solitus decurrere sanguis
de muliere perit, dempto simul amne cruoris.
Gorripit hic febres, ventos compescit in undis
per quas Christus iter Petro veniente peregit,
cum miraretur stringi natura liquorem
fluctibus aequoreis domini sub pondere victis.
Vertit aquas ut vina fluant, mirabile donum :
pocula sunt latices et fluminis ebriat unda.
Copia panis abest et copia panis abundat.
Milia virtutum sunt admiranda ; sed ut quid
miremur dominum tantum potuisse polorum,
discipuli famulique sui cum tanta per orbem
gentibus innumeris omnes fecisse legantur,
advena sermo fidem cum spargeret ore piorum
et simul indociles docilesque audire moneret
supplicium post grande crucis reditumque supernae
lucis ad aethereos tractus thronumque parentis
caelestis, veniens cum linguas funderet ignis
spiritus, alme, tuus, nostro commercia mundo
consona dissimili infundens sermone beatis.
Tu Deus es quem terra tremit, quem mundus adorat :
te mandante pluunt nubes et ab igne coruscant,
te mandante poli post nubila maesta serenant.
Surgere tu ventos et crescere turbine facto
praecipis, ut rabidae perturbent cuncta procellae

et mare caeruleum rapiant super aethera nimbi
fluctibus assumptis pelagi sub sidera caeli ;
tu rursus reprimis flatus recidentibus euris
et mare purpureum tranquillo marmore tendis,
ut post ima freti ludant super aequora pisces,
horrida monstra natent et belua gestiat ingens.
Hoc est nempe fretum quod se divisit et haesit
in partes hinc inde duas, cum turba piorum
impia regna fugit, Moseo principe gentis ;
rursus aquae reduces repetunt loca prisca fluentis,
cum fugitiva manus de fluctibus omnis abesset.
Tunc demersus obit populus, qui saeva parabat
Israelitarum plebi, quae facta superstes
vindice naufragio : tali sub clade doletur
qui fuit ante metus ; mox libera turba Tonantis
mutatum miratur iter : via prisca salutis
semita mortis erat nec servans membra sepulcro.
Africus interea motus virtute jubentis
illaesurus adest, nulla comitante procella,
delicias portare parans novus ingruit imber,
innumeras dat nimbus aves, datur esca polorum,
angelica de parte cibus, sitientibus autem
flumina petra dedit nullo fodiente ligone.
Et ne plura loquar, tua sunt quaecumque videntur
vel quae nemo videt ; tibi debent omnia quod sunt,
tu tamen ipse quod es nulli debere probaris
et quasi qui debes sic omnibus omnia reddis.
Est tibi cura, Deus, de quicquid ubique creasti ;
ne tantum succumbat opus, stat cura minorum
et speciale jubes tam quam generale tueri.
Sic fit mater humus qua germina cuncta creantur,
sic mare velivolum mercator nauta vagatur
telluremque novam circumspicit impiger hospes
et complexus amat non cognitus advena cives.
Foedere concordi, quia vis, elementa tenentur
tam longa conexa mora, sic juncta ligantur
ut disjuncta tamen concordi lite probentur.
Si disjuncta fiant, solvetur machina rerum,
si conjuncta forent, omnis natura periret.
Tu, Deus omnipotens, nosti quod feceris orbem
semine quo caelos, solem lunamque creasti
vel caeli quaecumque gerunt, unde esse dedisti
ex nihilo simul ; esse tamen diversa putamus.
Ad nihilum reditura iterum sunt omnia, cum tu
jusseris esse chaos, solus mansure superstes,
angelicis animisque piis adorande catervis.
Qualiter ergo labor nullus fuit ante jubendo,
omnia cum fierent, sic nec labor ullus erit jam,
jusseris ut finem, cum plurima saecula norint.
Te seraphim cherubimque Deum dominumque precantur,
te chorus angelicus, laudans exercitus, orat,
thronus et incessans humili te voce precatur ;
agmina te astrorum, te signa et sidera laudant
auctorem confessa suum, te fulmen adorat,
te tonitrus hiemesque tremunt, te grando procellae"
te glacies nimbique pavent, te spiritus omnis
personat, imber hiems pelagus nix frigus et aestas.
Te tellus fecunda vocat, te suspicit aer,

unda super caelos tibi supplicat et polus omnis,
flumina te metuunt, te fontes stagna paludes
voce sua laudant, te nubila crassa coruscant,
te luce alba dies, te nox obscura tenebris,
te bona temperies, te tempora cuncta precantur,
ver aestas autumnus hiems redeuntibus annis.
Per te fetat humus, per te, Deus, herba virescit,
frondescunt silvae, spirat flos, germinat arbor ;
messis aristatas acuit per culmina fruges,
palmite gemmato post pampinus admovet uvas
et nunquam caritura comis pinguescit oliva.
Te fera, te pisces pecudes armenta volucres
turba cerastarum laudat, genus omne veneni
sibilat ore fero, lingua vibrante trisulca,
et tibi, quicquid habet reputans, debere fatetur.
Auctorem vitae gaudet stridore minaci
materies laudare necis poterasque, creator,
non angues, non omne nocens permittere nasci,
ut vitas hominum tantum mors una tulisset.
Sed nos quoque rei cognoscimus omnia quae res
fecerit ista dari : data sunt per crimina nostra,
quod praecepta Dei passim contemnimus omnes.
Nec modo peccatum, subrepsit moribus olim ;
olim primus homo transcendit jussa Tonantis,
ingratus quia factus erat caelestis imago,
jura potestatis retinens super omnia solus
et semper, nisi jussa Dei contemneret audax.
Mox quod factus erat, nullo peccante creatus
peccavit. Quid nos miseri de crimine nati ?
Principio nostrae peccator originis auctor
damnatur sub lege necis vel clade perenni.
Continuat nobis similis, heu, poena manere
nec similis nos culpa tenet ; semel incidit ille
una lege reus, nos multis legibus error
contemptis retinet captivos sorte reatus.
Gur non debuimus sortis pejora mereri
quos peccatorum retinent tot milia vincfos ?
Illud praetereo quod parvi pendimus omnes,
quod caelo tellure fretis atque aere toto,
ignibus aethereis et lumme dignior omni
est homo quem libuit per se formare Tonantem.
Nam diversa Dei solo sermone creantur :
illic jussor erat, nos autem operarius aptat.
Addo quod innumerae pestes mortale minantes
membrorum de parte sua dant saepe salutem.
Vipera quid praestet cauda et cervice recisa,
quid serpens maculosa juvet medicina fatetur,
aspidis obliquae quid pinguia membra medantur,
informes ursi, fulvus leo, quid lupus audax.
Et quodcumque malum vindex natura creavit
miscuit optandam dira cum morte salutem.
Quid quod mortiferis animalibus induit auctor
ut sentire queant reddant sectantibus iras
et prorsus non sint non se madentibus hostes ?
Non pudet hoc homines ? Gens importuna probamur
justitiam retinente fera ; pro dedecus ingens !
Anguis agit ignarus opus, nos improba turba,
quid nos ? Justitiam noscentes temnimus actu

plectibili. " At veniam ignorantia jure meretur,
forte sit et nobis haec excusatio certa ".
Ne furtim noceant angues quaeruntur in herba ;
quaerimus immites et per deserta leones,
ne gregibus sparsis vastent cultoribus agros ;
sectatur venator aprum, cui retia figit,
vinea ne pereat sub morsu dentis adunci.
Gervus ut occumbat (quaerit medicina medullas) ;
quid nocuit per rura lepus, quid damma vel hircus ?
Quos medicina jubet haec ut capiantur ad usus,
ut sub fraude cadant venantum aut ante molossos ?
Quid pisces meruere freti, quid turba volucrum ?
Pervasit gens nostra fretum, pervaditur aer
ut capiantur aves ex nulla parte nocentes.
Quae natura negat per nos elementa petuntur :
per pelagus celebratur iter ; sec/usus ab undis
navigat audaces quatiens super aequora remos.
Parva putant homines fluctus transire nocentes,
insuper armati medias grassantur in undas.
Aut bellator aquas aut jam pirata vagatur
sollicitat glaucumque fretum mucrone cruento
et bellum ignotis transfert manus hospita terris.
Non sat erant terrae tolerant quae bella cruenta ?
Ut vel in externos tantum produceret hostes
impatiens armata manus, cur tela propinquis
impulsant peraguntque, nefas, civilia bella ?
Nec solum civile sat est, socerosque patresque
germanosque petunt saevo certamine fratres.
Nec modo temptatur noviter, primordia mundi
hoc taetrum doluere nefas hominumque secundum
conspexere pii perfusum sanguine fratris.
Gessit hoc impietas, et postea conditor Urbis,
et quasi lex fuerit, miserum sic venit in usum.
Faucibus obsessis cadit a latrone viator ;
quid fur nocturnus, pravo velatus in actu
ne capiatur, agat ferro comitante per umbras,
multorum nos saeva docent exempla priorum.
Quid quod adulterium dulces male venit in usus
incestique nefas agitat plectenda libido ?
Invadunt plures alieni caespitis agros
et domibus junxisse domus non jure modesto
ac promissa fides non custoditur amico.
Nobilium plures decepti fraude clientes,
canities despecta senum laesique parentes
infantumque animas nullo pro crimine raptant ;
nam quae tam parvis fecisset culpa reatum ?
Jam genitos utinam tantum fera dextra feriret !
Et necdam natos properant in ventre ferire.
Externos pariterque suos furit impia mater
conceptus damnare, sui nec cura pericli est.
Quae bibit impietas truculenta impune venenum ?
Repperit hoc quis grande nefas ut non sibi mortem
hauriat os quodcumque bibit ? Mmus ecce noverca
audet in externos genitos quam mater agit rem.
Dextra novercahs jam natos mittit ad umbras,
ante mori genetrix quam nasci pignora cogit.
Haec mala sufficerent ; faciunt pejora nocentes.
Mortua quin etiam non linquunt membra quieti,

sollicitant animas mortis jam lege quietas
cantibus infaustis, herbis atque arte nefanda
et responsa petunt tenebris de voce sepulcri.
Excantavit agens animam maga nocte prophetae
Fascibus his scelerum cur non graviora mereri
omnia debuimus, qui sic peccamus inique ?
Sol lux clara dies luna stellaeque micantes
vel quaecumque Deo famulantur sidera magno
militia praeclara poli vel pontus et aer
et tellus accepta Dei praecepta reservant
ac devota pie per saecula mille morantur ;
nec tam longa movet diversi temporis aetas
ut legem servare negent aut tempora mutent
contra jura Dei, contra praecepta Tonantis.
Splendet sole dies, illustrat Cynthia noctes
et quasi gemmatum distingunt sidera caelum.
Aestuat undosum pelagus, ceu fluctibus astra
impetat, et terram spumis operire minatur
nec tamen egreditur transgresso limite punctum :
in sua regna furens confringitur et redit in se
aestus et unda maris, saevus licet aequora tollat
ventus et insani feriant sua littora fluctus.
Pendula caeruleum non audet scindere tellus
invasura fretum, tantum contenta moratur
tramite vincta suo, ripis mirantibus aequor
in cumulos montesque videns insurgere fluctus
nec pavet invadi quae nil invadit ab undis.
Est homo grande malum : legis transgressor et audax
criminis inventor, scelerum reppertor et auctor.
Immemor auctoris, mortis dux, terminus aevi
oblitusque sui, perstans inimicus et hostis
omnibus atque suus, solus sub tempore parvo
transgreditur praecepta Dei ; scelerata propago
nascitur : ex fonte sceleris genus omne meamus ;
ex primo quicumque sumus nunc usque creati
non pietas, non ira Dei nos ulla coercet.
Saecula quod fuerant transacta ad tempora Noe,
ut scelus assiduum vel saeva piacula mundus
adderet et nullus hominum retineret honestum,
nec tamen ulla simul processit poena reorum ;
inde rebellantum moles praesumpta gigantum
sacrilega cervice tumens, quodcumque volebat
aut poterat, sibi cuncta dabant, sua cuncta putabant
nil reputando Deo, per quem valet omne quod extat.
Despexit Dominum velut insuperabilis audax
terrigena proles meruitque infanda propago
naufragium terrestre pati, dum littora nusquam
terra licet distenta daret, cum flumina pontus
obrueret pontumque nocens absconderet imber,
cum moribunda fretis silvestria cuncta natarent
et genus aequoreum spatietur montibus altis
ac pariter pelagus vastas gestiret in undas,
agmina cum volucrum quae protulit unda necaret ;
cum grege fit tractura lupus ; venator et ursus
mergitur et nullos metuunt armenta leones.
Nam pavor unus erat : totum sors mortis habebat ;
nec qui fleret erat : cunctos mors una tenebat.
Hoc solum servatur aquis quod diligit auctor ;

enatat inter aquas cum mundi civibus arca,
conceptu paritura simul juvenesque senesque
et pueros matresque pias tenerasque puellas.
Una dies produxit avum serosque nepotes ;
excepit pariter tellus natosque patresque
aequaevosque facit diversi temporis ortus.
Non homines tantum fecundior arca refundit :
pace quidem modica dilata delicta retenta.
Nam postquam revocantur aquae per viscera terrae
diluviumque nocens altus suscepit abyssus
littora nudantur montes mare flumina silvae,
apparent fontes paulatimque arida tellus
redditur et redeunt cunctis iraeque metusque
jam tecta tellure feris gregibusque avibusque -
impia gens hominum scelerum mox vota resumit
et facinus reparare cupit, ne perderet usum
criminis illuvies et tamquam damna subiret.
Sic adherent delicta malis grassante reatu,
sic passim redeunt ad saeva piacula mores.
Pertulit ista diu princeps impune vagari
ut revocarentur satiati crimine multo ;
sed postquam in pejus hominum procedere vidit
pessima vota Deus , rursus ne perderet orbem
aut impune reos passim dimitteret omnes,
eligit e cunctis quos plus peccare videbat
supplicio censura Dei super astra coacta.
Et quia diluvium jam non dabit unda secundum,
sulphureas his fundit aquas nigrumque bitumen
compluit et flammis ultricibus imber adussit
quinque cremans urbes ; populos et moenia damnat
ignibus aethereis, sucoso caespite cocto
mox fecundus ager steriles expavit harenas
pinguis et in cineres putrescit gleba solutos.
Nos sumus auctores nostris, heu, cladibus ; omnes
pauperiem gemitus mortem tormenta dolores
nos nobis facimus peccando sponte maligne.
Segregat omnipotens merita pro moribus orbis :
non sociant poenae quos non junxere reatus.
Loth justus famulusque Dei sine fraude fidelis
inter tot scelerum turbas pius unus et insons
eripitur de morte truci sine crimine visus
et servatus abit vitae melioris amator,
qualiter ereptus Noe servatur in arca,
nec generale malum sensit specialis et hostis.
Tot gens nostra malis non est correpta, sed audet
criminibus laxare frenos sine fronte pudoris ;
supplicia scelerum non damnat prava, sed auget.
Hinc obscena fames morbi mors luctus egestas
taedia bella lues clades jactura labores.
Nam sic factus homo fuerat, primordia nostra,
ut volucres ; pascendus erat sine clade laboris :
vomere non terram proscinderet atque ligone,
non peregrina vagus rabidis deposceret undis
committens animam ventis et fluctibus audax ;
sponte parans fructum vinum de fontibus iret
in morem fluvialis aquae ; longaeva liquores
semper oliva virens non certo tempore ferret,
mella darent vepres, sentis sudaret amomum,

omnis ager pigmenta daret vernantibus herbis
et rosulas proferret hiems, servaret et aestas
lilia purpurea, flos omnis staret odore
nec marceret honos violae pallore decenti ;
non niger aut albus tantum color esset in agnis,
sed rubicunda daret pretiosus vellera sandix,
lanigeras vestiret oves et muricis ostrum ;
fabula certa foret Phrixei velleris aurum,
famam scaenaei verax arietis haberet
per populos certamque fidem sine crimine tanto.
Viscera non terrae tantum pretiosa metallum
servarent, abstrusa nimis nec gemma lateret,
omnia sed passim facies telluris haberet,
omnibus in terris regio non indiga mercis,
vilior illa foret populis spectantibus euros.
At nunc plectibiles humanae mentis ubique
dulcia subducunt mores et amara ministrant.
Forsitan opponant homines delicta fatendo
angelicum peccasse genus, quos purior aer
et super astra polus vel caeli regna tenebant.
" Ante tribunal erant ubi casta et sancta viderent
corporis expertes terreni ponderis omnes ;
et sic error eos tenuit crimenque nefandum.
Quid homines miseri, fragili sub tegmine carnis
captivos quos membra tenent et corporis usus ? "
Sic vobis responsa dabo : quid culpa aliena
obicitur ? Purgare potest quod gessit iniquus
alterius quodcumque nefas ? Scelus omne peractum
respicit auctorem, socios cunctosque ministros
implicat et solos facinus quos inquinat urget.
Inde magis mens nostra rea est quod poena secuta est
caelestes famulos his nec gravis ira pepercit.
Sideris innumeri cecidit pars tertia caelo
cum duce pulsa suo, superat vindicta coercens
agmina caelicolum pereuntia clade perenni.
Militiae pars tanta poli discincta severe
debuerat nostros ultro compescere mores
et tamen in nobis nullus timor extitit unquam.
Quis canis illatret, vimces si terga leonis
colla caputque ferant et sanguine fulva rubescant ?
Aut solis pereunte die simul obice terra
sidera despiciant umbram, qua cuncta teguntur,
et superare putent crassas tenui igne tenebras ?
Aut siccante freto jactet se rivulus unda
vel minor unda velit caelesti occurrere flammae,
quam neque grandis aquae possint sedare fluenta
gurgitis aequorei, cunctos si eructuet amnis ?
Sed quia caelestis pietas veniale minatur
plusque coruscantes flammas quam fulmina vibrat
aut, si fulmen habet, montes et culmina tangit
arboribusque caput, cedros celsasque cypressus
ut terrore domet potius quam clade profanos,
est nobis contemptus atrox animique nocentes
omnibus ; et nobis pietas tamen alma nocenti,
indulgere volens cito quam punire parata,
misit ab arce pium caeli per sidera Christum
qui virtute sua serpentis frangeret artes
per vexilla crucis hostis populando cohortes,

praecipiti jactu quas celsa palatia caeli
exilio trusere gravi sub perpete culpa.
Expavit Judaea Deum post viscera matris
maxima tot populis dantem miracula Christum.
Invida continuo semel laesura profane
sacrilega tenet arte viam livoris iniqui
et quaerit peritura dolos, quibus improba perdat
insontem sanctum rea noxia callida fallax,
et pretium dat turba, Dei commercia fiunt
discipulo vendente suo funesta duobus :
venditor infelix, sed non felicior emptor.
Pars pretium perdit, perdit pars altera mercem ;
proficit in nobis, qui non contraximus, emptus :
sanguine distracti maculatur venditor emptor
quos mens nostra sacri mundabitur imbre cruoris.
Ah scelus atque nefas ! Insontem turba reorum
supplicio quo digna fuit, cruce verbere ferro
affligit letique vias et limina mortis
ingerit aeterno, cui lex ab origine mundi
nec fuit initium nasci nec finis obisse.
Ergo salutaris quod passio membra peremit,
fecit abire diem solis restantibus horis
et noctem sub luce dedit ; rediere tenebrae,
sed sine more suo violata lege polorum.
Tunc niger axis erat quem lurida palla tegebat,
candida sanguineum monstravit luna ruborem,
cardine sub gemino nox importuna pependit
et planxit natura Deum ; monumenta piorum
clausa patent, plures mundo rediere sepulti
et vitas mors ipsa dedit, dum vita perennis
limina mortis adit. Poenae intremuere ministri ;
effugiunt tormenta reos, invita pepercit
tortorum metuenda manus, lux funditur umbris
descensum comitata Dei, simul orbe fugata.
Tartarus infelix nunquam satiabilis umbris
et solitus gaudere neci turbatur amare
et supplex augmenta dolet, nam damna futura
haec augmenta dabant ; animas quas claustra tenebant
carceris aeterni redituras lucis ad usus
ingemit et legem violari deflet Averni.
Luminis impatiens ut jam remearet ad auras
aethereas optat dominum regemque polorum,
ne chaos omne gravet jubar insuperabile Christus
aut spoliet toto nigros simul agmine manes
ad superos revocans animas virtute parentis.
Tertius interea processit lucifer astris
oceano spondente diem, redit almus ab umbris
rex reducum vitae magna comitante caterva ;
discipuli reducem laeti videre magistrum.
Inde reversus abit, repetit sua regna triumphans.
Dexter in arce sedens, consors genitoris amatus
judicio venturus erit post saecla futuro
reddere mercedem cunctis quam quisque meretur,
ad dextram laevamque jubens astare catervas,
exigit ut meritum vitae pravaeque bonaeque.
Si scelus est et grande nefas tempsisse potentem,
factorem temerasse suum quod crimen habetur ?
Et tamen indultor mansit post funera carnis ;

paeniteat si forte reus, clementior audit
datque repente pius veniam donatque reatum.
Juda miser veniam si vel speraret haberet ;
sed memor infandae tamen et sine nomine culpae
credidit infelix nil jam veniale mereri
judicioque suo veniae subtractus abivit.
Redditur argentum, scelerata ad colla pependit
vix tandem justus, nam nec permansit avarus
et suspensus obit se mox ultore severo.
Vincula rumpuntur, cecidit crepuitque cadaver,
viscera fusa jacent, hinc cor crudele patescit
funestatque diem de corpore tabe madenti.
Legimus innumeras veniam meruisse catervas
Judaea de gente reas mortisque ministros
optima perpetuae sumpsisse et munera vitae,
quorum Paulus erat caput extans grande malorum ;
et tamen ipse fuit legis post crimina doctor :
martyrium Stephano qui fecerat inde recepit
et meruit plenam quam contulit ante coronam.
In se vera Dei confirmans verba probavit
" hoc patietur homo quod quisquam fecerit ulli ".
Sed bonus excepit quod tunc malefecit iniquus,
quod populos gentesque docens convertit eundo
per mare, per terras ut Christi nomen adorent
gentilesque deos et cordibus idola pellant ;
Mars cadat ex animo, pereant Saturnus et Arcas,
Juppiter atque Venus, Titania Juno Cupido
vel quicumque dei ficti sermone vetusto
credantur nil posse, simul nihil esse probentur.
Solus ubique Deus, rerum fons, conditor et spes,
idem semper eris quod et es, quod et ante fuisti,
nil addens minuensque tibi crescentibus annis.
Tempora mutantur, te nunquam saecula mutant :
qualem prima dies, talem simul ultima noscet.
Cum te non caperent caeli terraeque fretumque
aeris et spatium, modico te corde reponis
pectoris humani conceptus mente fideli.
Exaudis quod lingua tacet sub corde loquaci ;
ante futura vides, penes te nulla futura
sint licet, omnipotens : praesentia cuncta videntur
aut transacta magis ; nobis ventura creantur.
Qui peccaturos homines tu spiritus auctor
ante vides, primum medicinam, sancte, parasti
quam faceres hominem : indulgentia parta reatum
praevenit et facinus venia praecedit iniquum.
Christus enim datus est nobis spes una salutis,
qui nostra hic peccata lavet pius amne cruoris ;
et licet ipse ferat maculas et crimina nostra,
immaculatus adest tamen agnus et unicus heres
semper viventis, semper victurus et ipse.
Largitur peccata reis sine voce rogatus
pectoris affectu secreto mente fide spe.
Cum sit ubique Deus semper praestare paratus,
tardius accipimus heu nostro corde morati.
Oderunt pia vota moras, festinus adoptat
ut praestet quam nos quae purget causa mereri.
Arbitrio posuit clemens Deus omnia nostro :
libera mens hominum est peccare aut vivere sancte,

libera vota dedit quando sperare velimus,
credere si placeat, facile est nam posse mereri.
Credidit Abraham dominoque est factus amicus.
Confectus senio membrisque trementibus aevo
inter avos atavosque fuit, sed prolis egenus
ut soboles impubes erat frustraque maritus,
officii genitoris iners ; algente vapore
germinis extinctus cecidit genitalibus ignis
et fecundus amor quem jam subduxerat aetas.
Nec solus steriles retinebat marcidus artus ;
femina deterius praemortua membra trahebat,
spes generis recidens et vis materna peracta.
Frigida progeniem senibus natura negarat ;
flebile conjugii portabant nomen inane,
spes tantum juvenilis erat ; crescentibus annis
augebat spem sola fides, praesumptio major
affuit his prolem spondens cum gente nepotum ;
non hos certa fides nec spes incerta fefellit.
Fecundus per membra vapor discurrit utrique,
dulcior et gelidis irrepsit flamma medullis
miranturque senes recidivo fomite venas
in sobolem caluisse suas ; animatus anhelat
intra membra puer vinctus compagibus artis.
Intumuere sinus rugis pereuntibus alvi,
dum tandem fit mater anus paritura prophetam
et sterilis fecunda parens. Miratur et haeret
sic uterum crevisse suum tenerasque puellas
consulit et trepidans tamquam nova nupta requirit ;
saepe verecundos faciunt nova gaudia vultus :
fructus honestatis datus est de ventre pudoris.
Sic licet unius genitor post saecla creati
gentibus et populis tamen est pater unus origo.
Omnis harena maris vel flammea sidera caeli
aequantur numero benedicti germinis apte,
nam cui terra datur et caeli sancta parantur
rectius aequatur geminis hinc inde elementis.
Sarra socerque simul dominum petiere rogantes ;
illa virum meruit stabilem post funera septem,
hic visum ; fugiunt cum paupertate tenebrae
et gemino capit orbe diem reducesque sereno
lumine sunt acies post nubila crassa micantes.
David adulterii facinus homicida peregit,
sed scelus agnoscens culpas impune fatetur.
Sic reus et veniam sceleri sub voce meretur
credulus et domini famulus post ista fidelis
attestante Deo caelesti voce vocatur
in tantum ut regem faceret post crimina natum
ex eadem muliere virum, cui tempore partus
omnia concessit merito genitoris amati.
Fleverat Ezechias sub puncto temporis uno
et prece permodica vitae tria lustra meretur.
Murmure sub tacito sterilem defleverat Anna
matricem ; fecunda redit per vota priora
et non est ultra vox expectata secunda.
Hi solas fudere preces, jejunia nulla,
nam nec tempus erat longum quo vota piarent,
cum nec plena fuit cunctis poscentibus hora
qua votum meruere suum pietate Tonantis.

Quod vetus atque novum duo testamenta loquuntur,
milia tot subito veniam meruisse reorum
pro quibus una semel vox est aut nulla precata.
Exegit quid plena fides et credula dixi,
quid non credentes mereantur dicere cura est.
Incurrit culpam sancti pater ille Johannis,
pontificis loca sacra tenens magnusque sacerdos,
credere cunctatus domini promissa Tonantis,
angelico senior monitus sermone repente.
Mox vindicta datur per longa silentia linguae,
donec ventris onus bis quinis mensibus actis
fundatur de matre puer sub sorte beata.
Tu, Deus omnipotens, rerum caelestis origo,
tu pius et clemens et consolator herilis
tempore tristitiae, major defensio pressis,
erigit elisos, relevat tua dextra jacentes,
confovet abjectos et semper pascit egentes,
pocula larga parans sitientibus alma ministrat.
Nescius irarum, monitis non clade coercens
peccatum, sine clade reos clementior audis
ante preces veniale jubens ; non ira furorem
excitat ut jubeas vel juste occidere sontes.
Plus pius es quam justus : agis non ergo severus,
errantes punis, sed mitis corrigis omnes
sub pietate bonus, poenae cessante flagello,
et quotiens commotus eris placidissimus extas ;
nil immite jubens levis est sententia caeli.
Rex pie, supplicium cunctis revocabile dictas
ut, si peccantes agnoscant corde reatus
et damnent meliore animo delicta priora,
sint quibus ignoscas. Sed non semel ista relaxas,
saepius indulges : ostendens limina mortis
et revocans a morte truci quos culpa premebat
faucibus inferni raptos in luce reformas.
Hi soli pereunt semper quos esse profanos
constiterit, sine fine mali peccare volentes ;
criminis et poenae limes semel unus habetur.
Et poteras servare malos pius usque senectam
ut damnare simul horrenda piacula nossent
et veniam sperare tuam, sed major habetur
hic ratio, nam impune diu peccare nocentum
si fuerit permissa manus, turbata repente
mens insontis erit, mox paenitet esse modestum
optaturque nefas et plus pia turba nocetur
improba quam rabies atque impia vota fatigant.
Quid quod et erranti mora non brevis esse probatur
servaturque diu veniae, si desinat audax
illicitum temptare nefas ? Nam gaudia caelo
conversus dat quisque reus ; sibi quisque medelas
arbitretur homo culpae sub voce requiri.
Vox tua cum sileat, tua sed sententia clamat.
Erigis oppressos humiles sternisque superbos,
tu captivorum rumpendo tenacia vincla
colla levas attrita jugis cervice soluta
et proceres servire facis famulosque jubere,
paupertate jubes opulentos turpis egestas
vestiat et ditas opibus bene largus egentes.
Ima levas et celsa premis, praesumpta coactus

atteris et tenues adjecto robore firmas
jura potestatis retinens sub nomine vero.
Solus enim dominus dominum qui non habet extat
vel cui cuncta parent, per quem sunt omnia quae sunt
et transacta simul vel sunt quandoque futura.
Qui dedit Elysios justis et Tartara pravis,
qui placidis saevisque jubet procedere solem
et lunam stellasque vagas et sidera cuncta
imperat et pluvias nullo discrimine fundit.
Nec ratione caret pietas : generaliter una
mercedem justis, injustis munera nobis
praerogat, ut vel sic nos convertamur ad illum ;
illectos donis, non poenis mutat adactos.
Expectat pia vota Deus, non tura requirit ;
victima sola placet purgatae mentis honestas
nec tamen expensis, sed puro corde litandum.
Pectore contritos, genibus cum pectore flexos
suppliciterque suas pandentis fletibus u/nas
exaudit ; nam si quis erit miseratus egentis,
texerit et nudos, inopes defenderit, insons
contentusque suis alienis non inhiarit,
si impetrare velit, vel ut impetret ista meretur ;
effectus faciles oratio pura reportat
quam non impugnat cujusque precatio tristis
et fortasse juvat ; pauper peccata relaxat
pastus et indutus ; viduae pupillus et aeger
et defensus inops plus quam sumpsere rependunt.
Vestibus expensis epulis de more Tabitha
expendebat opes miseris alimenta ministrans ;
numquid ad annorum numerum cuicumque modesta
addidit et vitam longum produxit in aevum ?
Et meruit tamen ipsa jacens post funera vitam
amissam reparare suam testantibus illis
quis proprias fundebat opes miserata rogantum.
Petrus enim medicus fuerat, medicina catervae
paupertatis erant : caelis extorsit egestas
quod voluit. Nos turba rapax calcamus egenos
conferimusque nihil : forsan spoliamus avari
pauperiem, si forte ferat quodcumque decorum ;
exspectamus adhuc de paupere xenia nobis
afferat et praedam potius ; de nobile pauper
jam modo dives eget, cui confert indiga dextra
non sibi mendicans quod divitis usibus addit.
Quicquid agamus adhuc sceleris fraudisque dolique
supplicio dignum, differt punire benignus
vel, si paeniteat, magis indulgere paratus,
qui facit angelicas flamma crepitare cohortes.
Nam pia turba Dei sunt spiritus omnis et ignis
quamvis et ipse Deus se prodidit igne loquaci,
cum jubar ignitum domini rubus asper haberet
et lacrimas populi pro libertate gementis
diceret ante suum Deus ascendisse tribunal ;
se tamen asseruit merito sic alma potestas
descendisse polis, ut quae captiva jacebat
libera turba foret, domini victura superstes.
Mox sua promissor perfecit verba fidelis
exutosque jugo deduxit per mare rubrum.
Candida dux fuerat nubes flammaeque columna ;

fluctibus aequoreis gemina de parte ligatis
in scopulos, pelagi non jam latrantibus undis,
transierant salsos ponti sine remige fluctus
et pedibus siccis iter est navale peractum.
Laudavere Deum, sed plus de morte natantum ;
sexus uterque Deo magnas in laude choreas
certatim resonant et palmis tympana pulsant
et celebrant vincente Deo saltando triumphum.
Non gladiis jaculisque datis missisve sagittis
gens oppressa perit, sed tantum surgere jussa
arma elementa Deo nulllum fusura cruorem
et tamen innumeras faciunt sine sanguine mortes.
Una eademque die populis datur ecce duobus
ira furens pietasque simul ; sine nubibus ullis
diluvio periere gravi splendente sereno.
Omnibus ostendit domini sententia lata
quid peccata creent, quid justi vita meretur,
quid bona simplicitas, quid noxia vota reportent
quid pius aut humilis, quid et impius atque superbus
quid ferus aut mitis, quid clemens quidve cruentus
dapsilis et largus, quid praedo aut raptor avarus ;
agmina condemnant et mores agmina purgant.

## LIBER TERTIVS

L3 Luminis aeterni lumen, lux lucis origo
orbis et astrorum, jubar aetheris, aeris auctor,
pax elementorum, naturae conditor et fons,
sideris innumeri numerus quem non latet omnis,
nomina dans astris et stellas cursibus aptans
immobilesque jubens septem constare triones,
axe licet volvente polo stent sidera pigra,
qui numeras cunctas quas praefert litus harenas,
scis, Deus, et pelagi quantos ferat unda liquores
per freta cuncta maris totum factura coactu.
Omnia nosse Deum, quia condidit omnia solus,
quis dubitet ? Quod nosse jubes caelestia norunt,
quod tu scire vetas ignorant omnia caeli.
Nam tua jussa parant ut sint elementa ministra :
fulgura crebra micant collisis nubibus euro
et tonitrus imbresque movent aut fulmina caelo
missa cadunt hiemesque cient comitante fragore ;
verberis igniti volitant per inane flagella
et rutilat radians crinitum missile flamma.
Justitiae monitor, sed plus pietatis amator,
celsior excelsis, specie sed pulcrior omni,
virtutum virtus, dulcedine dulcior omni,
lucidus omnituus vel lumine clarior omni,
editor omniparens, sed non tamen edite ab ullo,
qui placidos pluviis das descendentibus imbres.
Sic annona datur cunctis animantibus esca
et natura parens per tempora cuncta ministrat,
sic plumis vestitur avis, sic frondibus herbae,
sic calamos nutrita seges stans armat aristis
et tunicis vestita ceres pubescit adulta,
sic viridis flavescit ager sine semine jacto.

Creditor extorquet sub vomere faenus arator,
usura praestatur edax, centesima grandis
redditur utque placet vota credentis avari,
debitor exoptat millesima reddere lucra.
Non exactorem pudor imprimit aut dolor ullus
afficit exactum ; contraria vota duorum
conveniunt solusque dolet captator iniquus
annonae pretiique vorax, inimicus amicis,
omnibus adversus, populis insontibus hostis,
nam sua damna vocat compendia publica mundi,
nil opibus propriis quacumque ex parte minutis ;
extinctam dolet esse famem, bene dives egenus.
Semper avarus inops, pauper sub divite nummo
aestuat et custos alieni thuris odorat.
Judicio punita suo mens semper avara
dat poenas animi, quae se dum nescit amare
diligit heredem, cui servat cuncta fidelis.
Nec bona praesentis hic tantum perdere vitae
contingit miseris, perdunt bona cuncta futura :
numquid eris pius, alme Deus, jam morte perempto
illi quippe magis qui proditur impius in se
et sibi vel cunctis solacia tota negavit ?
Non exempla docent damnati divitis ignes
pauperis et requies, qui post sua membra beatus
Abrahae portante sinu per saecla quiescit ?
Divitis extincti tormenta exspectat egestas
immitesque vices alterna sorte rependit.
Serica quem tenuis, quem mollia lina gravabant,
qui solet aestivum membris sudantibus ostrum
poscere, deposito confractus murice denso,
cujus et in digitis non sedit crassius aurum
et licet exiguae non ferret pondera gemmae,
inter anhelantes tormenta ultricia flammas
supplicium crudele luens exaestuat ardens
et tolerat poscitque rogans ardente palato
ut gelidum digito mereatur lingua liquorem,
sed negat hoc immane chaos ; crudele profundum
dividit inter aquas et saeva incendia mortis,
quae sine fine manent et stant sub perpete nexu.
Et miser hic qui dives erat non vixit egenter ;
vestibus indutus Tyriis processit et ostro,
delicias consumpsit edax, reus inde vocatus,
pauperibus miseris quod trux alimenta negabat,
nam sibi dives erat dapibus conviva repletus.
Si tales damnare placet sub perpete poena
qui sibi, non aliis, proprium dependere curant,
quid passurus erit qui nec sibi praestitit unquam
aut qui aliena rapit praedo temerarius audax,
cujus facta gemens plaudit spoliatus egenus ?
Hi nam sunt, quos sola juvant convivia, praedae
gutturis et ventris curam sine laude ferentes,
ignari quia quisquis erit praesentis amator
vitae animaeque suae non diligit ille, sed odit ;
contemptor vitae magis hic servator habetur.
Nil opus est praeferre Deo. Sententia prisca est :
" summum crede nefas animam praeferre pudori ".
Si majus scelus est animam praeferre pudori,
quam sit grande nefas animam praeferre datori,

demere dum liceat quicquid dedit et cui confert ?
Ergo Deum si verba colunt et mens veneretur ;
nil opus est praeferre Deo, Deus omnis amor sit
ante artus animamque ; simul conuma natos
posponat mens pura Deo totamque salutem
reiciat, contemnat opes, patrimonia damnet
et securus erit vitae melioris amator
temporibus sine fine datis, sine limite perpes.
Quod spectat finem fragile est totumque caducum.
Quam sit insipiens contemnere velle perenne
et modico quaesisse die peritura repente,
Abrahae doceant jam nos exempla parentis
qui natum senior susceptum tardius unum
spe cito contempsit, jussus produxit ad aram
aptavitque neci nimia pietate cruentus ;
nudato mucrone pater, ferus ille sacerdos,
stabat in officio jam jam feriturus amatum
et pius immitis, non tristis fronte doloris,
non lacrimis udando genas, non unguibus ora
dilacerans ; lamenta silent et verbera cessant.
Non dat pectoribus, pietas secura minatur
exitium sine morte truci per funera nati
qui devotus erat, qui ad vulnera colla parabat.
Hostia grata jacens et victima mente quieta
displicuit placuitque simul, quia corde fideli
et pater obtulerat nec natus vota negabat.
Mox Pater omnipotens arietem subrogat aris :
hostia praestatur non orbatura parentes.
Si deus ullus erat Saturnus falcifer unquam,
hoc faceret puerosque neci subduceret omnes,
annua quos pietas flebat miseranda parentum,
heu, non orbaret dilecto pignore natis.
Qui planctos mortesque facit per sacra rogatus,
nescio sed minus a quo deplacatur ademit
quod praestare potest id si non praestat ut adsit.
Nam Deus omnipotens, verus Deus, omnia praestans
non cupit insontum mortes vitasque nocentum
non cito consumit, veniae dum cuncta reservat.
Nam quod Isac jussit pius hostia patris ut esset,
non crudelis erat concessum auferre parenti
per patris tam grande nefas aut vota probare
censuit amborum (non est temptator habendus)
aut ignarus erat quem mens humana lateret
(cum ratione jubet fieri quaecumque jubebit),
sed voluit monstrare Deus qua mente rogetur,
qualiter Omnipotens se vult et jussit amari.
Ostendit cunctis ut nil praeponier unquam
debeat aeterno Domino qui cuncta creavit,
cujus amore pio sunt contemnenda pericla
vel quaecumque placent animis et quicquid amatur.
Sic jactura fiat ; praestat compendia damnum ;
temporis exigui si sint dispendia vitae,
semper et aeternae felicia lucra dabuntur.
Nec nudo sermone decet promittere tanta.
Quid pater Abraham, quid Isac meruisse leguntur ?
Horum posteritas replevit gentibus orbem.
Barbaries nec sola datur de germine justo
et Romana manus hoc est de sanguine fusa.

Dat major gentile genus germanus et hostis
et minor eduxit nos munera pacis amantes.
Subiciat quisquam : " Sanctorum vera propago
pacis amatores merito justeque creavit ;
numquid et immites, qui gaudent sanguine fuso,
debuerat proferre simul feritate cruentos ? "
Haec illum responsa domant faciuntque silere
non agnoscit iners animi, rationis egenus,
tempora quod mundi rebus sunt capta duabus :
aut pax est aut bella fremunt ; quicumque duorum
alterutrum mos tempus habet nec tertia res est
tempora quae teneat. Dedit ergo tempora princeps
omnia perpetui generi manifestius Isac.
Aetatem mundi retinens descendit origo,
continuans dominata manet per saecula mundi.
Nec tempus retinet tantum, spatiatur in orbem,
qua profert tollitque diem sol luminis index,
qua nescit lustrare polos, qua flammeus urit ;
imperat et pelago ; caelum possedit origo
sancta prophetarum, tenet et loca magna piorum.
Omnia possedit benedicti lata propago.
Sed nec solus erat quem spes secura futuri
egregie faceret praesentem temnere vitam.
Ignea tres pueros fornax exceperat ardens
nomine pro Domini ; sed mox tepuere calores,
frigidus ignis erat, gelidis incendia flammis
mirantur cecidisse, simul non fervor anhelat
torridus aut aditum lambebat flamma camini.
Crinibus ignitis jejuna alimenta recusat
fastidita fames, rejecto fomite pingui
non fuit ignis edax. Quem roris spiritus afflans
imbrifer extinxit mitissimus angelus intrans,
cujus erat similis divinae prolis imago.
Non vestis flammata viris, non crinis adustus,
pruna nec extremae laesit vestigia plantae
conculcata licet totiens gradientibus illis.
Illaesos pueros expavit Persa tyrannus :
" egrediantur " ait Dominum confessus eorum
plenius atque suum solium jubet omnis adoret
Parthicus imperio subjectus regis et aulae.
Saeva Danielem rabies atque ora leonum
non tetigere pium cui destinat insuper escam
magna Dei pietas, jejuno utroque leone.
Quis petit et vixit venator inermis harena ?
Amphitheatrales qui non tremuere furores,
cum crepitante sono productor verberat auras
(longius assistens Massylum ex arte lacessit
lintea fluxa trahens venabula longa tenenti
poplite subnixo, dura sub pelle lacerto,
inguinibus strictis, munito pectore nisa),
cum residens caveis inter spectacula festa
vota facit populus valida ne bestia noxa
sanguineum referat satians in morte ruborem ?
Quando duos pariter suscepit harena leones
praesidio sic apta fugae spatiosior orbis,
clausa patensque simul bis seno cardine verso ?
Hinc vir adest atque inde fera, stans unus ad unum ;
hinc armata manus ferro, hinc dentibus ora.

Et tamen auxilio supra caput imminet alter,
morsibus illisis ne bestia membra jacentis
vexet et horrorem faciat dilecta voluptas.
Quis, rogo, tam saevas rabies compescere vindex
armatus praesumpsit homo ? Clarissimus ille
Alcides, quem monstra ferunt domuisse nefanda,
qui virtute polos meruisse est dictus et astra,
vix unum extinxit captum per colla leonem,
si tamen hunc verax per saecula fama locuta est.
Sed hic plena fides hominis pietate Tonantis
exegit virtutis opus, miracula summa.
Ille Dei famulus fuerat, non forte Dianae,
quae solet insontum fuso gaudere cruore,
sanguinis humani nunquam satiata catervis
hospitibus caesis ; humana tabe madescens
Taurica per Colchos crudelis virginis ara.
Petrus apostolico digne subnixus honore,
discipulus Domini, crucis almae signifer et dux
gentibus innumeris positus sub lege fideli,
retia post pelagi vilissima piscis aquosi
praeco Dei sollers et veri dogmatis index,
janitor aethereus vel primus in orbe sacerdos
temporibus placidis Christo regnante ; tonanter
quanta docens populos turbis miracula fecit,
impendens Asiae nulla mercede salutem
Europaeque simul, nixus virtute magistri ?
Et ne Roma diu nesciret munera Christi,
hanc Paulo comitante petit, pia jussa sequendo.
Exorat precibus magum per celsa volantem,
Simona mendacem sternit spectante Nerone.
Ficta Dei proles nimia est collapsa ruina.
Sic imitatorem sed non imitabilis ignis,
fulmina mentitum percussum fulmine vero
sacrilegum cecidisse ferunt Salmonea regno.
Ecce quid alma fides exegit ab arce Tonantis
ut vitas mortesque daret sermone fideli.
Mors cita, vita redux verbo mandante cucurrit.
Naturae famulatus adest servire paratus,
obsequitur Dominique vices cognoscit agentem.
Exigit hoc semper spes, mens pia, vita fidelis ;
vivere quos libuit sub tali tramite vitae,
omnia lam constat precibus cito posse mereri.
Quid ? Si cuncta velim miracula currere sollers,
non mihi sufficient mortalis tempora vitae,
multa licet maneant sub quovis limite longo.
Sed si forte legat haec carmina nostra profanus
quem lateat lex sancta Dei, ne incredulus extet
impendat quid pura fides, praesumptio simplex,
nec tamen aeternum modico pro tempore quaerat
et neget Abraham tantum fecisse beatum
vel quoscumque docet sancta scriptura fideles,
historias curram Danaum gentisque Quirini,
qui pro laude sua vel qui pro regno alieno
mentibus infectis animosae cladis amore
ausi omnes scelerare manus de morte suorum
aut certe de strage sua. Menoecea Creontis
Statius ostendit quia fuso sponte cruore,
ut pater orbatus furiarum regna teneret,

Thebanos proprio perfudit sanguine muros.
Si consanguineos scelus est jugulare propinquos
et furiale nefas, in se convertere ferrum
hoc facinus nec nomen habet. Sed nemo profecto
miretur hominum tam saeva piacula gentis :
non aliter potuit sceptrum transire profanum
ad successores quod gesserat Oedipus unquam
(nam ferus ipse Creon Jocastae proximus heres
et germanus erat) ; quasi lex est ipsius aulae
criminibus lacrimisque ducum sua regna dicare.
Codrus Apollinei tripodis responsa petivit ;
accipit infelix, aliena causa triumphi,
vestibus indutus famuli post arma tyranni.
Nam cui bella negant fecerunt jurgia mortem ;
in dubiis mors est inopem simulare tyranno.
Ausa Leonidae nocturnaque bella legantur.
Castra inimica petens invasit nocte silenti
et fuit una cohors tantum munita tenebris.
Nox erat umbo viris, manus haec confisa periclis,
spe mortis praesumpta suae ; qui luce repulsa
millenos petiere viros spernendo salutem.
Invadunt populos, obscura strage cruentant ;
dum nescit quemcumque ferit quicumque repugnat,
obtruncat socium, carum prosternit amicum,
amputat ignarus fratrem jugulatque propinquum.
Dum pater obscura defendi nocte putatur,
sic ibi procubuit nati pietate peremptus ;
viveret et vitam longo produceret aevo,
ni sobolem genitor nimiae pietatis haberet.
Foedera naturae rumpuntur crimine sancto
nec reor esse nefas Persis occidere patres
quos sua jura probant thalamis asciscere matres.
Ara Philaenorum Libycas possedit harenas
limitis exusti, fratrum memoranda sepulcra ;
extiterunt aliis tanquam sibi mentis avarae.
Nec caespes fecundus erat, sed limes adustus.
Solverat in cineres coctas plaga fervida glebas,
hinc sitis inde fames steriles retinebat harenas ;
portio telluris tantum concessa Medusae,
solis adusta rotis, nigris infecta venenis,
ignibus aethereis, gelidis obsessa cerastis ;
inter serpentum glacies atque aeris aestus
ignorat mutare vices per tempora tellus,
puniceum retinens ingenti sole ruborem.
Illic securi spatiantur ubique chelydri
defendit quos flamma nocens, vel nulla potestas
est ibi cervorum quorum sub jure tenentur.
Quid facerent fratres, si florea rura petissent,
si tellus fecunda foret nimis ubere glebae
aut si vipereis non esset noxia tellus
flatibus et nullas mandarent sibila mortes ?
Nonne per extremos issent, qua flammeus axis
extendit, qua zona polos rubicunda calore
aut hiemis glacies aeterno frigore tristis,
semper anhelantis torpens ignara vaporis ?
Haec plaga germanos nunquam prohiberet euntes,
limite sed posito niveas mensura pruinas
finderet et Scythicas retineret pacta paludes.

Quae Romanus amor patres implere coegit,
dicere si valeam, vero sermone probabo.
Optima nam vindex exempla ac pessima Brutus,
horror amorque novus, civis pius, impius auctor,
jure pater patriae, natis et regibus hostis
atque pudicitiae laesae castissimus ultor
post regale nefas, quod castae ingessit adulter,
jure maritali genialis praedo pudoris.
Quod scelus admisit, postquam fera regna tyranni
expulit et gemino praestrinxit consule Romam
annua festivis disponens fascibus acta ?
Regia bella gerens naturae bella peregit,
membra cruore suo perfudit ab hoste reversus
consul et in sobolis vertit pia colla secures
hostibus aptatas, funesta fraude profanas,
civibus hostiles orbatricesque suorum.
Ibat in exequias juvenum execranda senectus ;
unus erat vitae natorum et funeris auctor.
Hoc scelus admissum ? Tam saevo crimine non est
dulcis amor patriae, qui patrem fecit amarum
aut fecit non esse patrem jam prole perempta
pro quibus arma tulit, hostes qui in pignore praebet.
Alter erat senior qui natam perculit ense.
Quando dolens genitor planctus de pignore fecit ?
Affectus perimit, ne condemnanda libido
tolleret ingenua cum libertate pudorem.
Causa pudicitiae naturae jura diremit,
libertatis amor vicit pietatis amorem.
Immemor hinc generis factus, non immemor Urbis,
sanguinis oblitus fecit de patre novercam.
Virginis eximiae pater impius esse recusat
ne sit avus famuli ; pondus dicionis honestas
extimuit, formido fuit lasciva voluptas
illicitosque toros obsceno crimine captos
horruit iratus ; gemitus virtute doloris
fudit virginei truculentus funeris heres,
libertatis honos solacia planctibus egit.
Militis armati tantum potuisse dolorem
miramur populi, quia captus amore pudoris
hostis erat generis, prolis mors, sanguinis haustus.
Quid Torquata manus ? Nato pro laude periclum
intulit ostendens quae sit censura parentis.
Nam nec culpa fuit. Patriae pugnando triumphum
vulneribus dedit ille suis quibus hoste perempto
contigit extingui, tanquam superata juventus.
Quamvis nemo suas stravit post bella cohortes,
reliquias gladii gladio fervente necavit
addo quod invictum dantemque ex hoste tropaea
moenibus ereptis patriae de clade duelli.
Quis, rogo, dux princeps vim unquam est victoribus ausus
aut quis adoratum populo laudante per urbes
inter victrices audax post bella cohortes
atque triumphales post horrida proelia currus
percuteret sublime caput, lamenta triumphis
jungeret et laetis misceret tristia rebus ?
Oppressit votiva dolor, festiva recedunt,
publica funereo turbantur gaudia luctu.
Paenituit vicisse ducem, cui gloria mortem

intulit, et miles bellorum prospera flevit.
Dum lueret victor poenas virtutis honestae,
maxima justitium victoria grande paravit.
Vindicat hostiles gemitus fera dextra parentis,
sanguinis ingessit pietas inimica dolorem ;
barbara quem rabies hostili cuspide missa
si fudisset atrox, res publica tota doleret,
pullati proceres, vadimonia nulla fuissent,
crinibus effusis lacerasset pectora palmis
illustris matrona dolens, plebeia lacertos
scinderet ungue secans, vultus pia turba modestos ;
ut quondam Iliades fleverunt Hectora matres,
nympharum ceu turba suum tunc planxit Achillem,
ut Brutum planxit maesta cum plebe senatus
(non aetas, non sexus erat qui funus acerbum
non gemeret reputando suum), Torquata propago
sic est plancta diu scelere prostrata parentis.
Scaevola flammipotens dextrae cum temneret ignis,
constituit punire manum, licet ipse fefellit,
non manus audaces animos ; plus praestitit error
ut sine morte ducis vir tantum laudis haberet.
Non Romana nurus doluit per bella maritum,
non genitor natum planxit, non nata parentem,
non orbata parens deflevit funera nati
nec germanorum mortem flevere sorores ;
nec bellum pax ulla ligat pretiumve redemit :
una manus tantum bellum compressit inermis.
Quid Romanus eques ? Vasto telluris hiatu
praecipiti jactu demersus sponte per umbras
Curtius ingemuit, cum vivum terra cadaver
sorberet armato deterrens funere manes.
Fortis et incolumis populo mirante sepultus,
vir galeatus adhuc ferrato pectore visus
inter Tartareas sic descendisse tenebras.
Pallida gens Erebi, poenarum portio tristis,
tertia sors, quae lucis inops damnata laborat,
credidit Alcidem praedam repetisse secundam
aut alium vatem casus renovasse sinistros,
Amphiarae, tuos, quem perfida vendidit uxor.
Quid Romana fides ? Legatio Punica missus,
terror Agenoridum, major Carthaginis hostis,
Regulus implevit, horrendae mortis amator,
odia ; constipans magnum cum plebe senatum
compulit infelix ad inexorabile pactum,
captis lege data Poenorum in viscera ferrum
per jugulos transire suos et pectora dura.
Immemor uxoris natos contempsit et Urbem,
libertatis opem, nec ferrea vincla tenebant
captivum tunc forte ducem ; jam liber agebat
inter patricios, praetores atque tribunos
plebis adorandae, domuit quae viribus orbem.
Institit occidi, ne esset post bella superstes
hostis Elissaeus quem par fortuna tenebat
cum duce Trojugenum. Qui tempta luce reversus
in sua membra furens tormentis intulit artus,
pervigil extingui gavisus lumine nudo,
ut plus terreret Tyrios de morte minaci
quam gladiis, cum bella daret pugnamque cieret.

Mox senis emeritum formidavere cadaver.
Intemerata fides ad quae fera bella Saguntum
compulit atque famem vel saeva incendia mortis ?
Hannibal inclusis nullo surgente reatu,
praeter quod fuerant Romanae gentis amici,
crimen amicitiae reputans, pro laude periclum
intulit et poenas exegit ab urbe fideli,
perfida quas lueret sub justo vindice turba.
Intoleranda semel toleravit mensibus octo ;
quae nec sponte fidem violat nec clade coacta,
victa caterva fame ; gladios ut vinceret hostis,
incendit patriae populos cum moenibus urbis
et sibi dat cum morte fugas ; secura sepulcri
poscit ab igne neces, hostis sua jure triumpho
subducens et colla jugo. Rogus omnibus unus,
moenia sunt patriae tumulus, cinis omnibus unus.
Sic Numantini pro libertate cremati
in cineres jacuere suos cum moenibus urbis.
Nec juga Romani fuerant metuenda senatus :
parcere victor amat, sed debellare rebelles
urget et hortatur ; veniam donare suevit ;
pacis et armorum similes portasse triumphos,
invenisse magis cui dent post bella salutem
quam bellis punire volunt. Sic urbs tamen illa
libera conspirans flammis civilibus arsit,
non iram metuens clari post bella senatus,
sed veniam ; qui liber erat, servire recusat,
nec mortis pavor est, pavor est dominatio sola
mentibus ingenuis, necdum speraverat ullus
quae nos aeternae speramus munera vitae.
Sed ne forte viris tantum data verba putentur
et quasi sexus iners, fragili sub corpore mollis
laudis onus metuens, ne sit sibi fama superstes
tormentis quaesita suis, aeterna recuset
plurima dona Dei, laudis mala femina summae
materiem retinere potest ; audacius illis
deprensis nihil est, animos de crimine sumunt
datque nimis grandem mulieribus ira furorem.
Unde igitur furiale nefas assumere possunt,
inde pios animi rapiant sub pectore motus
et faciant quod honesta decet, quod fama pudoris
exigit et vitae prodest sub laude futurae.
Judith Holofernem castissima finxit amare
et sibimet peperit de ficto crimine laudem
castra ducis metuenda viris ingressa virago.
Inter belligeros fremitus et tela cruenta,
inter et ensiferas saevo sub Marte catervas
ingreditur vestita fide, munita pudore
et quod tanta manus non est aggressa virorum,
nocte sub obscura perfecit femina sola
et duce truncato viduavit castra tyranni ;
quae caput ad patriae proceres portavit et urbem,
civibus una dedit cum libertate triumphum.
Femineo mucrone perit dux fortis et audax ;
quem non bella domant, domuit promissa voluptas ;
haec sperata licet, non est perfecta libido
et certae noctis poenas persolvit adulter
impollutus adhuc nullo sub crimine facti.

Femina prima ducum Nino viduata marito
invasit thalamos et regnum prolis amatae
(exhibet infelix incesto pectore matrem
et sibi socrus erat fili turpissima conjux) ;
bella diu gessit juvenem mentita sub armis.
Quis neget et Scythicae Tamyris crudelia bella
cum duce Persarum Gyro sub fraude peracta ?
Ultrix facta sui post tristia funera nati,
cum regale caput demissum sanguine multo
clausit in utre cruor, quem mens furiata dolore
fuderat innumera juvenum cervice recisa.
Casta quid Evadne fecit Capaneia conjux ?
Dum post sulphureos jaculati fulminis ictus
ignibus appositis arderent ossa mariti,
conscendit mors viva rogos. Viduamne vocamus
quae simul infernum cum conjuge venit ad orbem ?
Dives Dido fugax extincti conjugis ultrix
urbis Elissaeae perfectis moenibus amplae
ipsa pyram manibus propriis construxit ut aram,
quam pedibus furiata suis conscendit et arsit.
Impulit ad flammas accurrere funera viva
aut amor Aeneae, veniens aut terror Iarbae.
Quid formosa nurus populo spectante pudica
post maculam thalami Lucretia casta peregit,
quam tulit infelix alieni poena furoris ?
Ut rea procubuit nullo surgente reatu,
concidit ense suo mansitque superstes adulter
qui solus feriendus erat mercede pudoris.
Milia femineis numerantur ubique catervis
exempla scelerum ; modicae vel laudis amore
aut certe fecere pie pro numine vano.
Conficti sermone dei quos fabula mendax
extulit et miseros incassum adorare coegit,
unde nihil meriti, sed vitae damna tulerunt,
cum sit nemo deus nisi noster ubique tremendus.
Omnia praecepti solo sermone creantur
ipsius imperio, per quem stant cuncta per aevum.
Ecce Deus verus, de quo nil fingitur, in quem
fabula nulla cadit, quem nunquam verba diserti
exornant aut forte notant, cui tempora nil dant
aut tollunt currente die. Qui saecula mutat
nec mutant hunc saecla tamen, quia quod fuit hoc est,
hoc erit aeternus, qui praesens constat ubique.
Omnia dat tollit minuitque volatile tempus ;
incrementa Deus vel detrimenta recusat ;
idem semper erit, nunquam mutabilis aevo,
qui cum sit Dominus se vult tamen esse parentem :
exhibet impendit praebet ; testatus adoptat
nos genitos vocitare suos ; nos ergo fideles
vivere debuimus tanquam factoris imago,
quos doceat factura Dei pietate magistra.
Rex pie, bellantum comitata potentia supplex
fit ; quodcumque jubes, eflectus jussa sequuntur.
Stat famulans natura Deo constructa elementis,
nescia quid jubeas, donec praecepta repente
audiat et Domino citius parere laboret.
Exultans jussisse sibi gavisa ministra
perficit injuncta placido sermone jubentis

et rerum natura parens famulata tremescit
per quem celsa poli tellus mare sidera constant
et gestit servile pavens. Quota portio rerum
nos sumus audaces ut contemnamus acerbe
imperium caeleste truces ? Par causa locatur
nostra Deique simul : qui vult sua vota venire,
impleat ipse Dei. Simili dicione voluntas
servorum dominique manet pietate modesta.
Qualiter optamus nostra spe vota mereri,
cum nos jussa Dei fieri contemnimus ultro ?
Nec sumus ignari quid sit fas quidve nefastum ;
gens scelerata sumus, nil de pietate merentes,
quorum primus ego plus quam peccator habendus.
Quando fatebor enim scelerum simul omne reatum
pectoris et carnis ? Non si mihi ferrea vox sit,
ora tot exsurgant quot dentes ossibus albent
aut mihi sint linguae quantos caput omne capillos
pectinat, explebo numerum sine fraude fidelem,
sed satis est dixisse reum sub crimine cuncto ;
quod tua jussa vetant, solus peccasse fatebor,
omne quod horrescis non me fecisse negabo.
Quid prodest cuicumque nefas celare peractum,
cum judex et testis ades Deus unus et idem ?
Sacrilega quasi mente putem non omnia nosse
aut aliquid nescire Deum, cui fraude nocebit
mens mea quod reticet, cum, si confessio simplex
indicet admissum, venia sperata sequetur.
Qui negat, ipse sibi veniam jam sponte negavit.
Ergo ego confiteor miseranda mente reatum
plenum, grande malum, non uno crimine partum ;
nam scelus omne meum numeros superabit harenae
littoris et pelagi vincent mala nostra liquores.
Non puto diluvium tantos punisse reatus
quantos ipse gero culparum pondere pressus.
Flumina me scelerum rapiunt quatiuntque procellae
et peccatorum torrens simul obruit unda ;
me delictorum merserunt fluctibus amnes,
usque animam venit unda meam, gravis horror aquarum.
Hei mihi, quod facinus non uno tempore gestum,
ut mea facta luam, tempus convenit in unum.
Nunc ubi sit pietas, ubi sit miseratio prisca
aut tua quo, Domine, clementia nota recessit ?
Oblitusne mei es ? Precor, obliviscere non me,
Omnipotens, sed facta mea. Gravor undique pressus,
vincla ligant, tormenta domant, consumit egestas ;
ludibrium generis, dolor omnibus atque inimicus
factus et exutus magna de parte bonorum,
crinibus intonsus, pannis squalentibus usus.
Notus et ignotus desunt, abiere parentes
et quibus impendi mox discessere propinqui
vel quicumque fuit subito discessit amicus ;
agmina servorum fugiunt, tempsere clientes
nec doluere meam tanta sub clade ruinam.
Irascente Deo solacia cuncta negantur.
Hoc superest ut vita cadat, nisi parcere mitis
jusseris afflicto, quem sic fregere dolores.
Punisti errantem, nunc jam miserere fatenti.
Paenitet en peccasse nimis, jam parce flagello ;

nam nequeo tolerare miser tot cladibus actus.
Accipe, quaeso, satis, precibus ne clauseris aures
nostris, sancte, tuas, qui das praecepta benignus
ira hominis cum sole cadat de corde furentis
et veniam nox ipsa ferat ; qui praecipis ut sit
septies et frater clementior atque modestus,
fac fieri quod et ipse jubes, miserere roganti
et lacrimas intende meas, quas fundo diurne
tristis et extenso prostratus corpore plango.
Me miserum ! Qui tanta fero, cui tanta parasti
supplicia scelerum, peccans licet acrius uri
debueram, qui saeva diu delicta peregi.
Addo quod et vita brevis est, mors longa moratur.
Magnus es, Omnipotens, qui scis cui justa parasti.
Eripe me his, invicte, malis in corpore sanum,
exitio succurre meo. Lassatus anhelo,
tot fractus hinc inde malis. Ignoscere gaudes ;
Eripuit tua sancta, Pater, clementia morti
agmina peccantum (veniam donare suetus
ad quaesita reis veniam conversus adoro) ;
post scelus evasit vitae melioris honestas.
Tu pius et clemens populo peccante Ninive
iratus non es, potius miseratus eorum es
suppliciumque necis spondes miseratus eorum es
qui veniam missurus eras vitamque parabas
exitium mortis jam praedicante propheta,
mendacemque facis famulum sermone fideli ;
Jona tamen sine fraude reus mendacia verba
prodidit et veniam meruit post viscera ceti.
In cruce pendentem veniam meruisse latronem
novimus et dominum venientem in Tartara Christum.
Ergo, Deus, miserere mei ; jam te rogo solum.
Qualiter ipse vides, me paenitet ante quod egi :
omne nefas placitum jam nunc suspiria damnant.
Flumina dant oculi, gemitus praecordia rumpunt
et lacrimis maduere genae ; jejunia reddo
pallidus et macie confectus pectora tundo.
En genibus curvis palmas extendo supinas,
cum manibus tibi vincla levo stridente catena,
carceris horrorem, suspendia, verbera passus
obscenamque famem quam major traxit egestas.
Me miserum, quanto cecidi de culmine lapsus !
Ille ego qui quondam retinebam jura togatus,
exemi de morte reos, patrimonia nudis
divitias mea lingua dedit rapuitque tenenti
ac servile jugum vel libertatis honorem ;
nam quod in accusando odi defensor amavi ;
impunitates vendens poenasque nocentum
insontumque simul pretio delicta coegi
ad caput haec hinc inde meum, quibus opprimor, olim.
Nunc tamen agnovi sine te nil posse moveri
grande vel exiguum, medium minimumque profundum.
Da mihi jam veniam, finem concede malorum,
vincula solve mea, stridentes frange catenas,
pelle famem, disclude sitim, compesce dolores,
omne quod admisi facinus crimenque relaxa.
Jam miserere mei ; custodia longa fatigat
inter anhelantes gemitus cladesque diurnas.

Nil peto difficile (spes est mihi posse mereri),
nil licet, Omnipotens, per saecula cuncta profecto
sit tibi difficile. Prosint mihi tanta flagella,
ad veniam sit poena ferax ; meminisse juvabit,
cum pius indulges et haec ad gaudia transfers.
Erige prostratum, vindex, attolle jacentem
et repara afflictum tali sub clade malorum.
Quae per me cecidit per te spes nostra resurgat.
Munere percipiam Domini redeunte favore
quicquid amara dies quodcumque et tempus ademit.
Lucida redde, precor, qui tempora subtrahis Iob
aspera, restituens quicquid malus hostis ademit.
Arida qui reparas antiquis mortibus ossa
quae membris rediere suis clamante propheta
atque homines factura rubent reptante cruore.
Humor ad absumptas intraverat ante medullas,
nascuntur venae, jam nervis membra ligantur,
jam tegit ossa cutis multos distenta per artus ;
quaerit colla caput, constringit guttura cervix,
verticis eximii replentur et ossa cerebro ;
inde duces oculi gemmato lumine vibrant
et palpebra tegunt lucis nudantque fenestras,
scaena capillorum fundens a fronte coronam
tempus et omne caput vestit de crine decorum
atque supercilium gemino superimminet orbi.
Naribus obductis duplex data semita vento
et geminae rubuere genae, lanugine malae
crispantur revirentis adhuc post ossa senectae
mortua temporibus multis olimque sepulta.
Ordine muratum dentes cinxere palatum
ut bene verba sonent ipsis modulantibus ora,
obsessamque domant densata repagula linguam
et pontem factura jacet sermonibus oris ;
interpres mentis, secreti pectoris index,
echo voluntatis tacitae vel cordis imago
verbere distinctas spargit per murmura voces
omne nefas atque omne bonum dictura loquendo ;
dentibus adduntur rubicundo labra labello.
Accedunt humeris remorum more lacerti,
brachia junguntur, vola nascitur et manus omnis,
unguibus armantur digiti sub dispare forma.
Curvis spina latus complectitur aspera costis,
pectora circurnstant crates jugulique ligantur ;
cetera membrorum currit compago per artus,
usibus officiis aptantur cuncta ministra.
Aedificant hominem longae fraumenta ruinae.
Ante tamen quam membra forent compage ligata
jam prior auris erat, quae audivit verba Tonantis.
Persarum rector timuit post regna bubulcum
inter prata pecus, sed post regnavit in arce.
Me, rogo, jam repara sub libertate solutum
clade catenarum ferrato pondere pressum.
Sit vitae requies, animae sint otia fessae,
sit secura dies, sit nox cum munere noctis,
sit fortuna redux, sit virtus usque senectam,
sit venerandus honos et quicquid vota precantur
aut amissa dolent, totum pietate reforma.
Nosco quid iratus vel quid mitissimus ipse

des, Pater ; adverto, non est formido salutis,
sed veniam sperare licet. Res ipsa probavit
quod vivus sum : mortis inops pietate reservor,
non ira, nam si Domini gravis ira fuisset,
non me differres, subita sed morte necares,
ne peterem veniam quam nunquam, sancte, negasti
aut ut non essem prorsus cui parcere posses.
Servatum reparare jube pietate sueta
ut merear cantare tuas per carmina laudes.
Quamvis nemo tua praeconia congrua dixit
aut unquam dicturus erit, nam formula laudis
temporibus tribus ire solet, tu temporis expers.
Numquid habes, Deus, ante tuum vel post cadit in te ?
Si laudator abest, narrator plenus adesset,
sed quis opus narrare tuum sermone valebit ?
Suspexisse Deum satis est de corde trementer
et lacrimis precibusque piis veneranter adire :
" Sint reduces sensus, mens sana in corpore sano,
sit mihi longa dies felici tramite vitae,
sit bona vel perpes felix numerosa propago,
sit sine tormentis post corpus vita futura.
Noxia mens non sit, non sit rea, non sit iniqua,
sit requies animae quae mox purgata quiescat.
Judicio, Deus alme, tuo detur inde triumphus,
inter odoratos flores et amoena virecta
in nemus aeternum veniam sedesque beatas
et grates exceptus agam de fasce malorum,
additus insonti populo sub sorte piorum. "